


PALAESTRA LATINA



ANN. XXXVI (Fasc. I) - N. 193
M. MARTIO - A. MCMLXVI

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.^a Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: PP. Claretianos - ALAGON (Zaragoza)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal L- 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permisso

I N D E X

ANN. XXXVI (Fasc. I) N. 193

M. MARTIO A. MCMLXVI

P. CAELESTIS, O. S. B.: <i>De urbe Monaco ante aliquos octingentos annos condita</i>	1
T. CIRESOLA, <i>Tres Tabernae</i>	16
J. M. MIR - P. CAELESTIS, <i>Epistulare inter socios commercium</i> ...	21
N. MANGEOT, S. J., <i>Aurelius Diocletianus</i>	31
J. ARAMENDÍA, C. M. F., <i>Per Orbem</i>	36
BIBLIOGRAPHIA, <i>Mir, Aspa</i>	40
RISUM TENEATIS	45

Aramendía, *Omnibus athleticis salmo viribus praestat.*

Codina, Lizama, S. Martínez, Gálvez, Ruiz, Barat, E. Martínez, *Fabellae et Facetiae. Thracii quis nescit* (cantilena 3 v.)

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXVI (FASC. I) — N. 193

M. MARTIO

A. MCMLXVI

DE URBE MONACO ANTE ALIQUOS OCTINGENTOS ANNOS CONDITA

Monacum, quod caput Bavariae¹ inde a temporibus studiorum antiquitatis redintegratorum Latine Monachium appellatur², litteris imperatoris Friderici Ahenobarbi (1152-1190) sollemniter datis saeculo duodecimo post Christum natum conditum censetur.

Nam Henricus, dux ob violentiam suam Leo cognominatus³, qua erat industria pertinacissima, id studebat, ut praeter Saxoniam inferiorem et

1. (praeter similes nominis Latini formas alias) Bavaria sive Boiaria = Bayern, Baviere, la Bavière.

Of. CLÜVERII, Philippi: *Germaniae antiquae libri tres*. Editio secunda, aucta et recognita. Adjectae sunt Vindelicia et Noricum. Lugduni Batavorum, ex officina Elzeviana, anno MDCXXXI (= 1631), p. 719-748: Vindelicia et Noricum. p. 727: vulgo *Bojaren* sive *Bajaren*, et contracte *Bairen*, latine vero loquentibus *Bavari* dicti. p. 728: Bojoarii, Bojovarii, Bajoarii, Bajovarii, Bajuvarii, Bajobari, Baibari, Baivarii, et postremum Bavari.

2. Cf. LATINIT. 9 (1961), 122 adn. 5.

3. Cf. LATINIT. 9 (1961) 139 (adn. 112); cf. LEVT(H)NER, P. Caelestinus: *Historia Monasterii Vessofontani* (= Wessobrunn), Augustae Vindelic(orum) et Friburgi Brisgojae 1753, p. 199: Ceterum Norbertus [*abbas monasterii Vessofontani*] propagandae religionis zelum satis ostendit, cum virus adhuc ex Hirsaugiensi coenobio [= *Hirsau*] ad servandum disciplinae rigorem monachos S. Wilhelmi [*i.e. Villedmi*], celeberrimi tunc archimandritae, doctrinis imbutos vocavit. Credo enim, nullius id auctoritate [= *auctoritate*] fieri potuisse, nisi Norberti, cum neque Caesar bellis implicitus id negotii sibi sumeret, neque Dux novus Henricus Leo in componendis Bojariae primum recuperatae rebus occupatus, neque Conradus Episcopus, multis pro Cathedrali ecclesia sua curis impeditus. — MVRA-TORI(us), Ludovicus Antonius, *Antiquitates Italicae medii aevi*, tom. IV, Mediolani 1741, p. 609: Otto ... Quartus, Henrici Leonis, olim Saxoniae et Bavariae Ducis inclyti filius, ex Guelphis Principibus sanguinem suum trahebat.

Brunsvigiam ⁴, quas provincias Germaniae ad Henrico Superbo ⁵, patre suo, hereditate acceperat, Bavariam recuperaret, cujus imperium anno millesimo centesimo undequadragesimo Velfis ⁶ ablatum est collatumque Babenbergensibus, principibus scilicet Austriacis ex Babenberga, id est arce quondam Bambergensi ⁷, quo loco nunc est ecclesia cathedralis, oriundis ⁸. Quam rem anno millesimo centesimo quinquagesimo sexto consecutus ducatum ⁹, quem obtinuit, vi et virtute confirmare contendit. Cui consilio complendo magnam partem Otto, episcopus ille Frisingensis cum sapientissimus tum potentissimus (1137 - 1158), qui litteris admodum eruditus complura opera conscripsit ¹⁰, officisse videtur, cum viae salariae pons alius prope Feringam ¹¹ in Isara factus forumque ibidem constitutum ejus esset potestatis. Haec igitur vectigalia, portoria, tributa sibi comparaturus forum Feringanum pontemque salarium quamvis alienae ditionis delere diu non est cunctatus. Quo factum est, ut per pontem Monacensem cuncti commeari cogentur; quibus redditibus Henrici Leonis non solum opes potentiaeque non mediocriter auctae sunt, sed etiam colonia ibi jam antiquitus constituta. Nam etiam structurae genere camerae fornicisque cujusdam post alterum omnium gentium bellum (1939-1945) eruderati vincitur ibi jam temporibus Caesarum Romanorum fundamenta jacta aedi-

4. vulgo *Niedersachsen, Braunschweig*; cf. AAS 57 (1965) 834: *Conventio inter Apostolicam Sedem et Saxoniam Inferiorem*.

5. regnavit annis 1126-1139. Cf. *MONVMENTA WELFORVM ANTIQVA*, ed. Weiland-Pertz [script. rer. Germ.] Hannoverae 1869, p. 7: *Heinricum Superbum ducem*. K. JORDAN: *Die Urkunden Heinrichs des Löwen, Herzogs von Sachsen und Bayern, Weimar (= Vimariae) 1949*, p. 32,35 sq.: *Heinricus dei gratia dux Bawarie et Saxonie, filius Heinrici ducis Bawarie et Saxonie*.

6. Scribitur *Guelfo, -onis, vel Welfi, -orum*. Secutus sum *ACTA APOSTOLICAE SEDIS (= AAS) 49 (1957) 57*: *Qui veteres annales replicant, asseverant eo in loco Velfum III, ducem e nobili Suevorum genere, anno MLVI coenobium pietatis causa condidisse (= Weingarten)*.

7. *Bamberga, -ae f. = Bamberg*; anno 902^o primum omnium legitur castrum *Babenberg*, postea *Babenbergensis mons*.

8. Cf. *MONV.M. WELFORVM 24* (ed. Pertz, p. 32 sq.) [*Rex Counradus, Friderici frater*] *Herbipolim pervenit. Ibi iudicio quorundam principum dux [Heinricus] proscritur, ducatusque ei abiudicantur. ...rex ducatum Saxoniae Alberto marchioni consobrino eiusdem ducis, Noricum vero, post in Vavariam veniens Leopaldo filio Leopaldi marchionis, fratri suo ex parte matris, tradidit*.

9. vulgo *Herzogtum, ducato, ducado, duché, dukedom, duchy*.

10. *Ejus opera, quae majoris sunt momenti, inscribuntur Chronica sive historia de duabus civitatibus* (ed. Adolfus Hofmeister, Hannoverae et Lipsiae 1912 [script. rer. Germ.]) et *Gesta Friderici I. Imperatoris* (ed. Waitz, Hannoverae et Lipsiae 1912 [scriptores rerum Germanicarum]). Illo opere Augustinum Hipponensem imitatus magnam partem hoc *Friderici nepotis res gestas percontatus facta conscripsit collaudanda. Audiverat autem Lutetiae Parisiorum Petrum Abaelardum, Hugonem Victorinum, Gilbertum Porretanum (Gilbert de la Porrée)*.

11. *Föhring*.

ficiaque exstructa fuisse¹². Quem collem postea monachos incoluisse verisimillimum est, unde nomen urbis hodie usitatum ducitur. Accedit, ut ex ipsis vicorum nominibus inter se collatis necessario coniciatur colonias Baiovariorum initio illuc non raro deductas esse, ubi jam antea incolae conederant, ut eorum sedes quodammodo cingerentur. Quae res eo comprobatur, quod plurima nomina eorum vicorum, qui in circuitu illarum sedum antiquarum inveniuntur, desinunt in *-ing*, cum illa domicilia vetustiora saepenumero *Altheim*, id est sedes antiqua, dicantur, quorum incolae aut jam ex Celtis aut ex Romanensibus¹³ oriundi videntur putandi esse aut antiquiores. Atque in territorio urbis Monaci vicus quidam adhuc exstat, qui ab hujusmodi sede prisca nominatur proxime a centro quamvis principio extra moenia ipsius oppidi situs¹⁴. Pontem autem illum, quo ripae fluminis Isarae junguntur, quidam putant jam anno nongentesimo tertio litteris quibusdam certe commemorari¹⁵, quamquam non desunt, qui dicant hoc monumentum ad pontem alibi constructum esse referendum¹⁶.

Sed templum Christianum beato Petro dicatum initio saeculi undecimi, id est plus centum annis ante opus Henrici Leonis, in colliculo postea ab eodem apostolorum principe nominato juxta illam cellam antiquam Romana camera contectam construi coeptum certe confirmatur parietinis effosis. Quae basilica ex tribus atriis¹⁷ aulisve constabat, quarum principalis

12. Cf. SCHLEICH, Erwin: *Die St. Peterskirche in München, ihre Baugeschichte und ihre Beziehung zur Stadt im Mittelalter, dargestellt auf Grund der Ergebnisse der Ausgrabungen*, München 1958, *Oberbayerisches Archiv* 83 (1958), 74-76.

13. Cf. PAVL. Fest. p. 61 (ed. Müller, Lipsiae 1839) Corinthienses ex eo dici coeperant, ex quo coloni Corinthum sunt deducti, qui ante Corinthii sunt dicti; quam consuetudinem servamus etiam, quum Romanenses et Hispanenses et Sicienses negotiatores dicimus, qui in alienis civitatibus negotiantur. INSCR. Dessau 7583 (Inscriptiones Latinae selectae, vol. II, pars II, Berolini 1906, p. 799) ROMANENS(is). TERT. praescr. 30,2,4 sq. (CChL 1,210) apud ecclesiam Romanensem sub episcopatu Eleutherii benedicti.

14. Cf. BAVERREISZ, P. Romuald OSB: *München-Altheim*, Studien zur frühesten Geschichte der Landeshauptstadt München, in *opere quod inscribitur Monachium*, München 1958, p. 87-118.

15. Cf. SCHLEICH: *Oberbayerisches Archiv* 83 (1958), 77; SCHAFFER: *Zeitschrift für bayerische Landesgeschichte* 21 (1958) 196; cf. SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, München 1950, p. 64.

16. De hac re Rev. P. Romualdus Bauerreiss, qua est comitate, me epistula die 9^o m. Marti a. 1960 benignissime data certiore fecit.

17. Schiff, *navata, nave, nef*: BACCI: *Lexicon*⁴, Romae 1963, p. 495: ala aedis (*Vallauri*); sacrae aedis ala; transversa ala; cella maxima; cf. *ibid.* p. 156. Cf. AAS 49 (1957) 400: Habet autem templum maiestatem quandam non modicam propter molis amplitudinem — est enim in quinque alas divisum, quarum tres in apsida curvatae sunt — summamque praefert pulchritudinem propter ornamentorum varietatem. Cf. ThLL I 1468,20-57; *imprimis* 1468,41-52: VITR. 4,7,2 latitudo aedis dividatur in partes X. Ex his ternae partes dextra ac sinistra cellis minoribus et si quae ibi alae (*var. l. aliae*) futurae sunt dentur. Cf. ThLL II 1101,10-1104,67: atrium: III *apud scriptores christianos significat basilicae partem*. ThLL III 363,55 sq.: (*capsus*) *pars ecclesiae*: GREG. TVR. Franc. 2,14 habet *basilica* ... fenestras in altario XXXII, in capso XX.

ab oriente in apsidem curvabatur¹⁸, sed deerat aula transversa¹⁹, ab occidente duae turres continuabantur²⁰. Haec sacra aedes, postquam controversiam, quae fuerat inter Ottonem, episcopum Frisingensem, et Henricum, ducem Bavariae et Saxoniae, imperator Fridericus sapienter composuit, tam amplificata est quam variis ex partibus immutata. His autem litteris Friderici Ahenobarbi Augustae Vindelicum a. d. XVIII Kal. Jul. anno millesimo centesimo duodesexagesimo datis primum oppidum Monacum definite commemoratur conditum confirmaturque. Qui dies exinde celebratur, quasi sit natalis.

Quae vero decernuntur, digna videntur, quae afferantur.

Nam Fridericus cum alias tum has sententias protulit²¹: “Ex quo”, inquit, “divina benignitate Romani imperii gubernacula tenemus, dignum est, ut eius opitulatione, quantum possumus, quieti temporum et paci ecclesiarum curemus providere. Ita enim et in praesenti commissum nobis orbem pacifice gubernari et in futuro a rege regum sempiternae retributionis praemio donari speramus. Inde est, quod controversiam, quae inter te, carissime patruē, qui inpraesentiarum Frisingensis²² episcopatus geris dignitatem, et nobilissimum consanguineum nostrum Henricum ducem Bavariae et Saxoniae super foro apud Veringen²³ et Munichen²⁴ dinoscitur agitari, ita coram nostra et principum praesentia decidere curavimus, ut deinceps omnis contentionis, quae ob hanc rem inter vos haberi posset, sublata credatur occasio. Huius autem transactionis utriusque vestrum assensu et voluntate celebratae talem fuisse tenorem praesentibus innotescat et futuris: Forum quod esse solebat apud Verigen et pons ad teloneum de cetero iam ibidem non erit neque moneta. In eius autem rei recompensationem consanguineus noster Henricus dux ecclesiae Frisingensi contradidit tertiam partem totius utilitatis, quae provenire poterit de teloneo fori sui apud Munichen, sive in tributo salis sive aliarum rerum magnarum

18. Cf. PLIN. epist. 2,17,8 cubiculum in hapsida curvatum. ITALA Wirc. exod. 37 (p. 25, *versus deest in VVLG. et LXX*) fecerunt sanctum sanctorum ... cum rigore porticus mediae ab oriente in absida convexum. Cf. ThLL I 322,49-323,18: *apsis* (*absis*), *īdis*, *acc.* *absīdem*, *postea absīda*, -ae *f.*

19. Cf. BREVIARIUM MONASTICVM (ed. 1963, Taurini et Romae, vol. II, pag. [298] die 9 Nov.: in dedic. archibasiliacae Ssmi. Salvatoris, lect. VIII: aulam transversam, laqueari et contignatione reffectis, expoliri iussit.

20. Cf. AAS 49 (1957) 197: Stant enim ad auras geminae sacrae turres, in acutos fastigiatae apices. 48 (1956) 122: Duae autem turres perexcelsae atque editae huiusce aedis decus atque dignitatem non mediocriter augment. *Ibid.* p. 208: [*Ecclesia*] mole et forma atque genere ... nec non tholo sacrisque turribus est venusta.

21. Cf. RVFIN. apol. adv. Hier. 1,30,20 sq. (CChL 20,65) sub aliena persona suam sententiam proferunt. 1,40,5 sq. (p. 74) sententias ... ab eo dictas frequenter ostenderim.

22. Frisingā, -ae *f.*, *adj.* Frisingēnsis, -ē = *Freising*.

23. hodie *Föhring*.

24. Hīc primum hoc nomen memoriae traditur, unde Francogalli, Hispani, Anglique duxisse videntur nomen *Munich*, Lusitani *Munique*.

vel minutarum seu venientium seu inde redeuntium ²⁵. ...Statuimus ergo et praesentis instrumenti pagina roboramus, ut huius conventionis hinc inde pari coniventia factae ratum et inconvulsum omni tempore maneat firmiter et uterque vestrum quod accepit teneat et quiete possideat, vestris vestrorumque successorum usibus iugiter profuturum. Porro ne huius facti memoria futuris quibusque temporibus oblitteretur, scripto notari ac sigilli nostri impressione muniri manuque propria, ut infra apparet, corroborantes, testes quoque qui aderant subter notari fecimus. Quorum nomina haec sunt: Arnoldus Moguntinus ²⁶ archiepiscopus, Fredericus Coloniensis archiepiscopus, Gevehardus Werzeburgensis episcopus, Hermannus Vardensis episcopus, Cuonradus Augustensis episcopus, Everardus Bavenbergensis, Fredericus dux Suevorum, Herimannus marchio Veronensis, Tidericus marchio de Lusiz et frater eius Heinricus ²⁷". Eandem rem Hartmannus Schedel ²⁸ his, quae sequuntur, verbis anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio descripsit: "Monacum" inquit "...quamquam temporibus

25. Usque ad annum 1803 cives Monacenses quotannis Frisingensibus pro illo ponte translato summam quandam pecuniae solvebant. Qua pecunia debita se demum anno 1852 liberaverunt nongentis octoginta septem florenis in perpetuum repensis. Cf. SCHATTENHOFER, Michael: *München im Zug der Geschichte*, in opere quod inscribitur *Lebendiges München*, München 1958, p. 4.

26. Mogontiācum, -ī n., *adj.* Mogontiācēnsis, -e (cf. CONC. Col. a. 346 pr. 9 Martino episcopo Mogontiacensium [CChL 148, 27], postea Moguntia, -ae f., Moguntinus, -a, -um = nunc vulgo Mainz.

Colonia Agrippina, -ae f., *adj.* Coloniensis vel Agrippinensis, -e = nunc vulgo Köln.

Herbipolis, -is f. (Wirceburgum, Werzeburgum, -i n.), *adj.* Herbipolensis, -e vel Werzeburgensis, -e = nunc Würzburg; primum anno 704 legitur: *castellum Virteburch*. [S. Bonifatius anno 724] in castro Wirziburhc sedem episcopalem constituens annuente Karlmanno et auctoritate apostolici papae. — [S. Bonifatius] Burchardo ... in loco ... Wirzaburch dignitatis officium delegavit et ecclesias in confinibus Franchorum et Saxonum atque Sclavorum suo officio deputavit. — ... sedem episcopatus decrevimus in castello, quod dicitur Uuirzaburg. — [die 13. mensis Ianuarii a. 1355] sepulcrum sancti Burchardi episcopi Herbipolensis: GERMANIA SACRA, *Die Bistümer der Kirchenprovinz Mainz* (= dioeceses ecclesiasticae provinciae Mogontiacensis), tom. I: *Das Bistum Würzburg* (= dioecesis Herbipolensis); scripsit Alfred(us) Wendehorst, Berlin (= Berolini) 1962, p. 11, 15, 17, 21. — Varda sive Verda, -ae f., *adj.* Vardensis sive Verdensis, -e = Verden an der Aller (= ad flumen Alëram sive Allëram sive Aläram).

Augusta Vindelic(or)um, *adj.* Augustānus, -a, -um vel (postea) Augusten.is, -e = nunc Augsburg.

Babenberga seu Bamberga, -ae f., *adj.* Babenbergensis seu Bambergensis, -e = nunc Bamberg.

27. Datum Augustae XVIII° kal. iulii, anno dominicae incarnationis M^oC^oL^oVIII^o, indictione VI^a, regnante Friderico Romanorum imperatore augusto anno regni eius VII^o, imperii vero III. Amen.: SCHAFFER, Reinhold: *An der Wiege Münchens*, München 1950, p. 72-74.

28. Norimbergae (hodie Nürnberg) natus et mortuus, floruit annis 1440-1514.

Ottonis I. imperatoris²⁹ conditionis³⁰ suae initium sumpsit, a Ludovico tamen IV.³¹ iam praescripto imperatore ampliata et aedificiis ornata fuit. Otto I.³², cum in Germania imperium anno Domini CMLXII assumpsit, in Baioaria partem regionis Henricus Brunsvicensis materna hereditate possedit et in arce Vering³³ domicilium habuit. Quo tempore publicus transitus super Isāram in eo loco extitit. Is dux Henricus pontem ultra flumen prope curiam monachorum fieri fecit in eo loco ubi nunc urbs Monacum³⁴ sita est communeque iter ibi fieri ordinavit cum oppidulo parvo³⁵,

29. imperavit annis 936-973.

30. Cf. ThLL IV 145,5-79: conditio (a condere), i. q. κτίσις. Diligenter distinguendae sunt condicio et conditio et conditio.

31. regnavit imperavitque annis 1310/14-1347. Hic est idem atque Ludovicus Bavārus.

32. Hartmannus hic Ottonem Magnum falso pro Friderico Ahenobarbo (1152-1190) habuit.

33. *Föhring*: sed falso hoc oppidulum dicitur castrum Henrici, cum revera sit ditionis Frisingensis.

34. Prioribus saeculis *Munichen* cunctis locis Latine dicitur *Monacum*. Cf. SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, p. 82: Tuta de Monaco (a. 1174-1180); p. 104: Counradum Dengeborn de Monaco (a. 1200-1218); p. 108: Chunradus de Monaco (a. 1212-1216); p. 110: civitate Monaco (a. 1214-1217); p. 112: in Monaco (c. a. 1200); p. 114: Et ista traditio facta est Monaci in domo plebani (a. 1220-1230); p. 118: Counradus Monaci decanus (a. 1226); et plurimis aliis ejusdem libri locis. In hoc opere complura, ne dicam cuncta monumenta litterarum Monacensia collecta continentur, quae sententiā rerum peritorum non paucorum majoris momenti esse existimantur. Cf. *Münchner Franziskanische Dokumente*, Dokumente ältester Münchner Familiengeschichte 1290-1620, aus dem Stifterbuch der Barfüßer und Klarissen in München 1424, ed. mandatu Fratrum Franciscalum provinciae Bavaricae, München 1958, p. 102, 105, 188, 201, 202 aliisque locis quam plurimis.

Cf. CHRONICAS BAVARICAS saeculi XIV, ed. Leidinger, Hannoverae et Lipsiae 1918 [script. rer. Germ.] p. 82,11: Post haec Bavariam intrans recepit se in Monaco (= a. 1315); p. 88,13 sq.: recipiens se in Monaco (= a. 1319); p. 82,27: Igitur rex intrans Bavariam venit Monacum (a. 1315); p. 92,21 sq.: cum in Monaco natalem Domini celebraret (= a. 1319). p. 121,28: Ludovicus sibi reservabat tertiam partem [Bavariae] cum Monaco (= a. 1329); p. 132,7: ante Monacum civitatem (a. 1334); p. 133,1: et celebratae sunt nuptiae in Monaco (a. 1339); p. 164,5: venerunt ad imperatorem Ludovicum in Monacum (a. 1338).

Cf. SLEVMER, Albert: *Kirchenlateinisches Wörterbuch*¹, Limburg/Lahn 1926, p. 527: Mönäcūm, -ī n. = *München*; inde ducitur adjectivum, quod est "Monacensis, -e", ut in epistula Gregorii IX, Summi Pontificis, kal. Dec. anni 1231 Reate data: in civitate Monacensi; cf. SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, p. 122-125; cf. *Münchner Franziskanische Dokumente* (= Monumenta Monacensia Fratrum Franciscalum), op. mem., p. 101: conventus Monacensis.

Innocentius autem IV. (1243-1254), Summus Pontifex, anno 1250 (II Kal. Nov.) litteras scripsit, ubi dixit: "villa, quae vulgo vocatur Monachum". E-t quidem hoc primum monumentum, quod aliquis Pontifex Romanus Monacensibus dedit. — Aeneas Silvius Piccolomini, epist. ad Martinum Mayer (Germania), § 6 (ed. Paparelli, Firenze 1949, p. 46) Maximus certe Monachi nitor!-Hunc locum mihi Berta Widmer pro sua humanitate Kalendis Nov. anni 1960 benignissime indicavit, cui hoc quoque loco gratias ago maximas. — Denique juvat hic memorari Monacum a Graecis nostrae aetatis Μόναχον nominari.

35. Liber chronicarum: SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, p. 204.

Aventinus autem vix triginta annis post Hartmannum ea, quae tum acta sunt, hunc in modum comprehendit: "Ceterum" inquit "Honoricus [*i. e. Henricus*] in Boiariam reversus, in prima Vindelicia, in ripa Isarae, ubi tum villa mystarum erat, in agro Scaphularensis³⁶ conlegii novum oppidum condit, Monachium³⁷ adpellat, quae nunc omnium urbium, quae imperatoriae non sunt, sed ducibus parent, clarissima habetur³⁸".

Paucis autem aliis sententiis interpositis Aventinus rem his prosequitur verbis: "Veringiorum"³⁹ inquit "vicus infra Monachium ad quintum lapidem, tum municipium Fruxinensis [*i. e. Frisingensis*] pontificis, ubi emporium, mercatus salis atque pons erat. Honoricus dux Boiorum noctu de improvviso Veringios occupat, diripit, pontem demolitur, aedificia igne concremat, salinas, salinarios omnes, pontem, portorium in Monachium, novum oppidum, transfert, illa posthac salem devehi iubet. Albertus episcopus Fruxinensis⁴⁰ ad imperatorem, qui ex Italia redierat, se confert, iniuriam sibi inlatam a duce Boiorum commemorat, opem Caesaris implorat. Augustus saepius Honorico diem dicit, minatur, praecipit, imperat; is saepius aspernatur, flocci facit. Caesar rebellem tandem Gamundiae⁴¹, quae urbs est Sueviae⁴², in Germania Magna, proscribit⁴³". Sed arbitrato Aventini Otto, episcopus Frisingensis idemque Alberti decessor, ipse causam videtur edidisse, cur impugnaretur forumque Feringanum tolleretur. Nam alio loco ait: "Oto Fruxinensis episcopus Otoburgium⁴⁴, superioris Boiariae arcem, condit, praesidio firmat; ob salinarium portorium vectigalque Boio-

36. id est Sceftilariensis; Sceftilaria = *Schäftlarn*; cf. SCHAFFER: *op. mem.*, p. 114.

37. Sleumer hoc nomen ducit ab eo, quod est Graece *μοναχειον*, unde syllabam paenultimam acuendam arguit. Ergo dicendum est *Monachium* (*lexicon cit.*, p. 527). Tamen de vocabulo, quod est *μοναχειον*, generatim adnotandum videtur esse hanc vocem apud auctores antiquos non inveniri. Nam omnes loci, qui in *lexicis* variis ex Codice Justiniano afferuntur (ut 1,2,13 vel 1,6,13), in editionibus recentioribus ad criticam rationem emendatis non reperiuntur: cf. commentarios *Musei Helvetici* 17 (1960) 228 sq.: *monachium* (Cod. Just. 1,2,13), scripsit Adolfus Lumpe. Cf. ThLL VIII 1396, ubi nomen *monachii* non invenitur. Sed hoc vocabulum ne in Graeco quidem habetur; cf. LIDDEL-SCOTT: *Greek-English Lexicon*⁹, Oxford 1953, p. 1143.

Monacenses autem ipsi linguae Latinae aliquatenus periti plerumque dicere solent: *Monachium*. Cujus rei documento est cantiuacula illa vulgaris, quam aliquando nescio ubi Latine redditam repperi: Dum sancti Petri turris stabit *Monachii* / ibique strepunt undae virentis fluvii, / ibique erit taberna in illo loculo / ibidem omnis vivit semper in gaudio. (Germanice: *Solang der Alte Peter...*).

38. AVENT. ann. 6,6 (ed. auctoritate Academiae Regiae, vol. II, München 1884, p. 232,15-19).

39. Veringii = Feringāni, id est incolae Feringae (= *Föhring*).

40. episcopavit annis 1158-1184.

41. hodie *Schwäbischgmünd*: quod oppidum in Virtembergia situm est.

42. id est Suebiae (hodie *Schwaben*).

43. AVENT. ann. 6,6 (vol. II, p. 232.28-233,3).

44. *Otenburg*, oppidum prope a Frisinga situm.

rum regulo Munychiisque⁴⁵ bellum indicit; salem devehentes Phoron⁴⁶ vicum atque Otoburgium petere cogit; cetera itinera praecludit atque obsidet⁴⁷.

Quidquid autem id est, certo constat imperatorem Fridericum Ahenobarbum in sollemni curia Ratisbonensi decrevisse, ut Henrico Leoni ducatus Bavariae et Saxoniae publice sollemniterque adjudicarentur. Cujus rei testis est epistula Ratisbonensis a. d. III Id. Julias anni millesimi centesimi octogesimi data, qua haec, quae sequuntur, edicta sunt. Nam "Quae imperiali statuuntur auctoritate", inquit Fridericus, "litteris competit annotari, ne vel transeuntium temporum antiquitate in oblivionem deveniant vel pravorum hominum fraudulentis machinationibus indignam sui mutationem incurrant. Noverint igitur universi tam praesentis quam postfuturæ aetatis fideles imperii, qualiter dilectus noster Adilbertus⁴⁸ Frisingensis episcopus ad maiestatis nostræ praesentiam accedens humiliter nobis conquerendo significavit, quod nobilis vir Hainricus de Brunswic, quondam dux Bavariae et Saxoniae, forum in Veringen cum ponte, quod ecclesia sua a longe retroactis temporibus quiete possederat, destruxerit et illud in villam Munichen violenter transtulerit. Cuius siquidem rei veritas etsi nostræ constaret serenitati, ipse tamen eam septem legitimis testibus in nostra comprobavit audientia. Sunt autem hi: Chuonradus Salzpurgensis⁴⁹ archiepiscopus, Chuono Ratisponensis episcopus, Bertoldus marchio Histriae, Gebehardus comes de Sulzbach, Otto palatinus maior et frater eius Otto iunior, Fredricus burcgravius⁵⁰. Consequenter igitur super eadem causa a principibus curiae nostræ requisita sententia iudicatum est, quod praefati Hainrici factum temerarium in irritum ducere imperialis deberet auctoritas. Quocirca secundum iuris tenorem translationem praedicti fori in vacuum revocantes ipsum forum cum ponte memorato fideli nostro episcopo Frisingensi suisque successoribus restituimus et praesentis scripti privilegio

45. Munychii, ed est, Monacenses: ex qua nominis forma apparet Aventinum, qui temporibus litterarum redintegratarum floruit, exempla nominum Latine reddendorum ab ipsa antiquitate repetivisse. Cf. FRONTIN. strat. 1,5,7 (ed. Gundermann, Lipsiae 1888, p. 17,20) subiectis rotis naves ad proximum portum Munychiam traiecit. NEP. Thras. 2,5 (ed. Malcovatti, Taurini 1934, p. 64) hinc in Piraeum transiit Munychiamque munivit. OV. met. 2,709 (ed. Ehwald, Lipsiae 1915, p. 52) Munychiosque volans agros. Etenim est Munychia portus Athenarum.

46. id est Feringa (= *Föhring*).

47. AVENT. ann. 7,2 (vol. II, p. 252,15-19).

48. Idem est atque Albertus I, qui Frisingae episcopavit annis 1158-1184.

49. Salisburgum (Salispurgum), -i n. = Juvāvum, -i n., adj. Salisburgensis, -e vel Juvavensis, -e = nunc *Salzburg*.

50. *Burggraf*, *burgravio*, *burgrave*.

eis et suae ecclesiae in perpetuum confirmamus⁵¹". Haec sententia iudicialia videtur is adductus esse, qui illius temporis annales Sceftilarienses conscripsit, ut paucis eodem anno referret haec: "Munichen destruitur. Feringen reaedificatur⁵²". Idem vero annus in anniversario, quod dicitur, conventus Clarissarum Monacensium, id est, sororum religiosarum a sancta Clara⁵³ nucupatarum, et in necrologio conventus Franciscanorum fratrum Minorum designatur, quasi sit tum ipsum Monacum conditum. Quae res his versibus comprehenduntur:

M C L tria X anno⁵⁴ [= MCLXXX]
 imperante Friderico
 Hainricus Prunswig Bavarum
 Saxonum rexit ducatum;
 Monacum tunc villa,
 sed Veringen⁵⁵ forum pro illa.
 Libertates verae
 civitati donatae fuere⁵⁶.

Henricus autem Leo non ea potissimum de causa exauctoratus est, quod pontem Feringanum evertit forumque ibi constitutum Monacum transtulit, sed imprimis invidia principum plerorumque effectum est, ut ipse, qui maximam partem Germaniae ad septentriones spectantis in potestatem suam redegerat, qui fines imperii multum in Slavos propagaverat⁵⁷, qui

51. Ego Gotefridus imperialis aulae concellarius vice domni Christiani Moguntinae sedis archiepiscopi, Germaniae archicancellarii, recognovi.

Signum domni Friderici Romanorum imperatoris invictissimi. (*Monogramma*).

Acta sunt haec anno ab incarnatione domini MCLXXX^o, indictione XIII^a, regnante Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius XXVIII, imperii vero XXVI. Data Ratisponae in sollemni curia, III^o idus iulii, feliciter amen: SCHAFFER, *op. mem.*, p. 84-86.

Cf. LENK, in commentariis qui inscribuntur *Bayerland* 59 (1957) 403.

52. SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, p. 190.

53. Cf. AAS 50 (1958) 513: Sanctam Claram, Asisinatam Virginem, caelestem apud Deum Patronam televisifici inventi facimus, constituimus, declaramus (*Pius XII.*).

54. Hic versus sic est enuntiandus: em ce el tria (i)x anno. Cf. SCHVLZE, Wilhelm: *Kleine Schriften*, Göttingen 1933, p. 444-467: Die lateinischen Buchstabennamen.

55. Germani usque ad medium saeculum undevicesimum f et v litteras eodem fere sono plerumque proferebant. Quo factum est, ut saepe altera littera pro altera poneretur. In lingua enim populari Germanorum recentiore f et v eundem sonum significant.

56. Monumenta Monacensia Fratrum Franciscalium (= *Münchner Franzisk. Dokumente*), *op. mem.*, p. 188, 201; hoc loco novissimo legitur: Libertates vere civitati durate fuere. SCHAFFER: *op. mem.*, p. 194 et 200. Annales Undensdorfenses (c. a. 1450): Anno Domini 1180 inceptio civitatis Monacensis in Bavaria sub Friderico primo (SCHAFFER, p. 202). Anonymi farrago historica Ratisponensis (a. 1519): MCLXXX (var. l. MCLXXV) Hoc anno urbs Monacensis coepta est (SCHAFFER, p. 208).

57. Cf. Helmoldi presbyteri Bozoviensis *Chronica Slavorum* (ed. Lappenberg-Schmeidler, Hannoverae et Lipsiae 1909 [script. rer. Germ.]).

tres minimum dioeceses constituendas curaverat, Lubicensem, Ratzeburgensem, Suerinensem⁵⁸, opibus destitutus potentia privaretur. Accedit, quod anno millesimo centesimo septuagesimo sexto ad Clavennam⁵⁹ recusavit exercitibus suis Friderico succurrere. His de causis anno millesimo centesimo octogesimo exsul atque extorris factus in Britanniam confūgit. In ejus locum Otto major⁶⁰, palatinus⁶¹ Vittelbacensis⁶² successit, cui Fridericus a. d. XVI Kal. Octobres ejusdem anni imperium Bavariae commisit⁶³. Quae gubernacula rei publicae principes Vittelbacenses cum magna salute populi usque ad annum millesimum nongentesimum duodevicesimum firmiter fideliterque tenuerunt.

Ipsum autem oppidum Monacum, quod inde ab anno millesimo centesimo octogesimo per sexaginta annos dicionis fuit episcoporum Frisingensium⁶⁴, jam temporibus Henrici Leonis aut paulo post in quattuor vicos divisum erat. Via enim salaria, quae ab oriente, et quidem a porta inferiore usque ad portam superiorem⁶⁵ ducebat, cum illa via, quae a meridie, id est a porta Sentilingana⁶⁶ ad posteriorem portam Suapinganam⁶⁷ ferebat, in occidentali margine fori committebatur. Intra illam moenium partem, quae a porta inferiore usque ad Sentilinganam porrigebatur, vicus

58. Lübeck, Ratzeburg, Schwerin. Cf. JORDAN, Karl: *Die Bistumsgründungen Heinrichs des Löwen*, Leipzig 1939. Cf. *ibid.* p. 10 sq., 26, 60 sq., 122. Legitur p. 10 (adn.) tres episcopatus in Slavia Transalbina [i. e. *trans flumen Albim*] instituimus, Ratzeburgensem, Lubicensem, Zwerinensem. — Cum vero populi Romanenses, cum Latine loquuntur, c litteram alio sono proferant atque Germani, malui scribere *Ratzeburgensis* et *Suerinensis* nihilominus litterarum monumentis nixus quamvis numero paucioribus.

59. Cf. PAVL. DIACON. *hist. Langob.* 6,21 (ed. Waitz, p. 221) Ansprand fūgit Clavennam (= *Chiavenna*).

60. Otto I. regnavit annis 1180-1183; cf. *Annales Sceptilarienses (1161-1221)*: Dux Henricus ducatu privatur, Otto maior palatinus loco eius dux constituitur: SCHAFFER, *op. mem.*, p. 190.

61. Pfalzgraf, comte (conde) palatino, comte palatin, Count Palatine.

62. Cf. MONVM. WELFORVM (Chronicon Hugonis) (ed. Pertz, Hannoverae 1869, p. 50) Noricum vero Ottoni palatino comiti de Witolinspach concessit. p. 63: palatinus de Wittelinisbach. Cf. MONUMENTA WITTELSBAGENSIA, ed. Michael Wittmann, *Quellen und Erörterungen zur bayerischen und deutschen Geschichte*, vol. 5, München 1857. Cf. HIRMER, Joseph: *Lateinisches Übungsbuch*⁹ (für die 2. Klasse des human. Gymnasiums), Regensburg 1929, p. 25: Principes Wittelbacenses complura saecula Bavariae praefuerunt.

63. Cf. SCHAFFER: *Zeitschrift für bayerische Landesgeschichte* 21 (1958) 204.

64. Cf. SCHATTENHOFER: *München im Zug der Geschichte*, in opere supra memorato quod inscribitur *Lebendiges München*, p. 7 sq.

65. Rudolfus Dux Bavariae (a. 1301): ad Superiorem et Inferiorem Portam dictae civitatis: SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, p. 176.

66. Monumentum anni 782: et in alio loco, cujus vocabulum est Sentilingas: SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, p. 58, et p. 62: in loco ... Sentilinga (a. 782); cf. *Monumenta Monacensia Fratrum Franciscalium (= Franzisk. Dokum.)*, p. 351 (*Index*): Sendling, Sentlingen.

67. Cf. Monumentum anni 782: in loco, quae dicitur Suuapinga: SCHAFFER, *op. mem.*, p. 58; hodie *Schwabing*.

erat boarius, ubi forum boarium⁶⁸ viam principalem continebat. Intra portam Sentilinganam et portam superiorem erat vicus tabernariorum seu propolarum, qui vicus nomen duxit a cauponibus, qui ibi in via Rosarum et cauponum habitabant. Inter portam autem superiorem et Suapinganam posteriorem erat vicus Eremitarum, qui a sancto Augustino nomen traxerunt⁶⁹. Sed huic vico antiquissimis temporibus aliud nomen fuisse consentaneum est, nam claustrum⁷⁰ Augustinianorum non est conditum ante finem tertii decimi saeculi et jam extra antiquissimum oppidum erat situm. Postremus vicus a porta posteriore Suapingana usque ad portam inferiorem pertinebat, cuius vici veterrimum nomen vicum Vilprechtensem⁷¹ fuisse traditum est, propterea quod familia Vilprechtorum illic fundos habebat.

Praecipua vero oppidi pars erat forum. Hoc autem, id quod mireris, non in medio oppido, sed post portam inferiorem erat. Medii oppidi pars erat compitum, ubi forum ad occidentem vergebat, sed ipsum hoc compitum aliquantulum ad orientem transversum erat. In quo foro erat iudicium et ducis moneta, inter quae fortasse jam tum, ut in similibus plateis fieri solet, se inferebant mensae pistorum, laniorum, piscatorum. Moneta autem ultimis tertii decimi saeculo annis a Monacesibus est diruta, mensae laniorum anno millesimo demum trecentesimo quinto decimo extra oppidum ad orientalem oppidi fossam translatae sunt. Eodem anno civibus Monacesibus permissum est, ut iudicium et tabernas pistorum alio transferrent. Trutina autem publica ad usum mercatorum necessaria haud scio an semper ab initio in loco ad eam maxime opportuno fuerit, id est in pomerii parte ad meridiem spectante extra mediam turrim portae inferioris. Num jam antiquissimis oppidi temporibus curia quaedam fuerit, non liquet. Certe vero forum in nobilissimo et amplissimo vico erat, in vico scilicet Vilprechtensi, ubi ducis quoque arx erat sita.

Vetustissimae autem domus antiquissimis Monaci temporibus simplicia erant aedificia e ligno facta et scandulis tecta. Quae quidem raro altiora erant tabulato inferiore, hic illic tantum domus locupletiorum civium vel patriciorum eminebant. Plerumque domorum structuram ad modum villarum casarumve rusticarum Bavariae superioris conformata esse censeas.

Postquam Henricus Leo forum alio transtulit, sancti Petri quoque ecclesia aliquanto amplificata est. Nam cum usque ad illam aetatem media tantum pars illius basilicae trium aularum in apsidem curvata fuisset, tum

68. Cf. Reditus ecclesiae Tegernseensis in Monaco (a. 1242): in foro pecorum: SCHAFFER, *op. mem.*, p. 138.

69. Cf. SLEVMER: *Kirchenlat. Wörterbuch*, Limburg 1926, p. 138: Augustiniānī Erēmītae.

70. Cf. ThLL III 1320,67-69: *de monasterio ipso*, cf. PS.RVFIN. in psalm. 40,7 studia ... otiosorum in claustris, *eqs.*

71. *Wilprechtviertel*; cf. Monumenta Monacensia Fratrum Franciscalium (= *Franzisk. Dokum.*), *op. mem.*, p. 110: Iohannes Wilprecht; p. 128, 170, 172: Wilprechtin; p. 131, 149, 154 (*bis*), 169; Wilbrecht(in); p. 189: Willebrecht; p. 358 et 380 (*index*).

tota illius pars ad orientem spectans mutata est, ut etiam lateralia atria apsidibus ornarentur. Sed cum ecclesia angustior esset quam pro numero civium crescente, saeculo XII^o in septentriones versus amplum sacellum adstructum est latius etiam quam laterales aulae, quae aedícula ipsa quoque apside finebatur, cuius altitudo eadem erat atque apsidum lateralium. Sub Ottone II, episcopo Frisingensi ⁷², intra annum MCCXX et MCCXXX hujus sacelli longitudo usque ad occidentalem marginem ecclesiae prolóngata est, ut ecclesia sancti Petri, qua ad septentriones spectabat, jam duas aulas laterales haberet ⁷³.

Quae opera vix erant perfecta, cum Otto episcopus ejus nominis secundus, ut animis fidelium bene consuleret, eo loco, ubi antiquitus sacellum sanctae Virginis fuerat, templum sanctae Mariae dicatum exstruxit, quare oppidi species magnifice exornata est. Hoc aedificium etsi nullis consignatur litteris, tamen architecturae historici e fundamentis erutis colligunt illud templum intra annum MCCXXX et MCCXXXV excitatum esse. Novum illud templum, cum tribus tantum jugis brevius esset quam ecclesia, quae hodie exstat, sanctae Mariae, amplissimum fuit opus, quod, si magnitudinem spectas, instar erat ecclesiae, si jus, instar sacelli sancti Petri paroeciae obnoxii, cum nec proprium curionem sacerdotesve neque coemeterium haberet ⁷⁴.

Anno autem millesimo centesimo nonagesimo quinto mercatores Monacenses commercium pannorum exercere coepisse primum traduntur ⁷⁵. Quibus negotiis gerendis postea innumerabiles aliae merces accesserunt mutandae. Illis necessitudinibus Monacum cum innotescebat tum efflorescebat. Quo factum est, ut hoc oppidum in quodam litterarum monumento Schyrensi ⁷⁶ jam circiter annum millesimum ducentessimum quintum decimum atque in annalibus Sceftilariensibus vix sex annis post civitas diceretur ⁷⁷. Eodem nomine tituloque etiam Gregorius IX, Summus Pontifex Romanus ⁷⁸, usus est, qui anno millesimo ducentesimo tricesimo primo Ottonem Secundum ⁷⁹, ducem Bavariae, graviter monuit, ut ecclesiae Fri-

72. episcopavit annis 1184-1220.

73. Cf. SCHLEICH: *Die St. Peterskirche in München, op. mem., Oberbayerisches Archiv* 83 (1958) 72 sq. — *Archiv für Liturgiewissenschaft*, vol. VI, 1, Regensburg 1959, p. 325, cf. n. 667 (p. 324-327).

74. Haec descriptio discriptioque Monaci, quam Carolus Pulchrimontanus, professor Dilinganus idemque magister quondam meus, qua est comitate scientiaque linguae Latinae, id rogatus Latine reddidit, ex commentatione Rinakli Schaffer jam supra memorata deprompta est: *Zeitschrift für bayerische Landesgeschichte* 21 (1958) 244-247.

75. Cf. SCHAFFER: *Zeitschrift f. bayer. Lande geschichte* 21 (1958) 215.

76. Schyra, -ae f., *alj.* Schyrensis, -e = Scheyern.

77. Cf. SCHAFFER: *An der Wiege München*, p. 110: huius praedii traditio in praesentia ducis Ludovici [i.e. *praesente duce Ludovico*] advocati nostri in civitate Monaco facta est (a. 1214-1217). p. 190: München civitas incendio periclitatur (a. 1221).

78. ecclesiae universali praefuit annis 1227-1241.

79. Otto II. Ludovico I., qui annis 1183-1231 regnaverat, successit et regnavit annis 1231-1253.

singensi molestias, damna detrimentaque inferre desineret⁸⁰. Sed inde ab anno millesimo ducentesimo quadragesimo, quo est Ludovicus, qui eo Severus cognominabatur, quod Mariam Brabantinam, uxorem suam, supplicio affecit, Monaco potitus primus princeps Vitelbacensis, quod sexaginta annos dicionis fuerat Frisingensium episcoporum, Summi Pontifices per multos annos hanc civitatem tantummodo sive villam sive castrum sive oppidum appellaverunt⁸¹.

Ibidem anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto Ludovicus Severus⁸² in margine oppidi castrum aulicum construxit, quo tanta Monaco incrementa facta sunt, ut postea vix centum quinquaginta annos conditum non solum inter cetera oppida totius ducatus Bavarici emereret, quippe cum esset primo principis sedes non solum Bavariae superioris, sed etiam locus eligeretur, ubi rex Germanorum imperatorque sacri imperii Romani, quod nationis Germanicae dicebatur, domicilium suum aliquamdiu haberet. Hae condiciones ita ferebant, ut templum primigenium Monacense, quod supra diximus sancto Petro, principi apostolorum, dicatum, jam intra annos millesimum ducentesimum vicesimum et millesimum ducentesimum tricesimum a septentrionibus aula quadam quarta amplificatum circiter annum millesimum ducentesimum sexagesimum plane destrueretur. Nam in eodem loco, ubi erat usque eo sacra aedes structurae genere Romanica⁸³, nova ecclesia amplior et spatiosior exstructa est, eaque ratione

80. Sane dilecti filii, ... decanus et capitulum Frisingensis suam ad nos querimoniam destinarunt, quod ipse quibusdam castris, villis, possessionibus ac bonis aliis Frisingensis episcopatus indebite occupatis ea contra iustitiam detinet et restituere contradicit et subvertens, quam tueri deberet, ecclesiasticam libertatem clericos civitatis et dioecesis Frisingensis solvere sibi annis singulis certa tributa compellit, eas nihilominus aliis exactionibus multipliciter opprimendo, ius quoque, quod in civitate Monacensi habet Frisingensis ecclesia, pro suae arbitrio voluntatis usurpat, possessionibus, terris, redditibus et rebus aliis ad communes ipsorum praebendas spectantibus adeo devastatis, quod ipsi fere non habent, unde valeant sustentari. ... Datum Reate VI. kal. decembris, pontificatus nostri anno quinto.

SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, p. 122; *id.*, *Zeitschrift f. bayer. Landesgesch.* 21 (1958) 221 sq. et 227.

Cf. SCHATTENHOFER: in opere quod inscribitur *Lebendiges München*, p. 8. Cf. CHIRON. BAVARIC. saec. XIV (ed. Leidinger, Hannoverae et Lipsiae 1918 [script. rer. Germ.], p. 61,9 civitas Monacensis. p. 99,3 in civitate Monacensi. p. 99,7 civitas Monacensis.

81. Innocentius IV., papa: in villa, quae vulgo vocatur Monachum (31 Oct. 1250): SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, p. 142. castrum: 30 Martii 1262, 9. Ian. 1276, 9 Ian. 1329; oppidum: 29 Martii 1273: SCHAFFER: *Zeitschr. f. bayer. Landesgesch.* 21 (1958) 227, adn. 7, et p. 236; *id.*, *An der Wiege Münchens*, p. 124.

82. regnavit annis 1253-1294.

83. Cf. GILD. hist. Britt. (MGH auct. ant. XIII) chron. III p. 169,30 promiserunt accipere iugum Romanicum, licet durum esset.

Cf. AAS 48 (1956) 122: structurae genere, cui vulgatum nomen "Romanicum". *Ibid.* p. 208: Ecclesia mole et forma atque genere, quod dicunt, "romanico" ... venusta. *Ibid.* p. 256: secundum artis Romanicae, quam dicunt, praecepta. Cf. *ibid.* p. 564. 49 (1957) 31: templum Romanico, quod vocant, structurae genere insigne. Cf. *ibid.* p. 56, 58, 270; 51 (1959) 807: ob Romanicam, quam dicunt, architectandi rationem; cf. *ibid.* p. 901.

architectandi Gothica⁸⁴. Quod opus anno millesimo ducesimo octogesimo septimo, quo Ludovicus Bavarus⁸⁵ natus est, maximam partem perfectum fuisse existimatur⁸⁶.

Sed jam anno millesimo ducesimo septuagesimo primo tota civitas Monacensis in duas paroecias divisa est, in ecclesiam Beatae Mariae Virginis Matrisque et in sancti Petri primitus constitutam⁸⁷. His annis numerus civium aedificiorumque eum in modum auctus est, ut multi moenibus ad Henrico Leone saeculo superiore exstructis recipi non jam possent, sed intra vallum et extra considerare cogentur et habitare. Qua necessitate coacti Ludovicus Severus ejusque filii Rudolfus⁸⁸ et Ludovicus, qui cognominatur Bavarus⁸⁹, consilium ceperunt condendi nova moenia, quibus cuncti concluderentur a molestiis periculisque peregrinorum bellatorumque tutandi. Quod consilium anno millesimo trecentesimo tricesimo septimo Ludovicus Bavarus ita complevit, ut novum urbis territorium sexies tantum esset, quantum spatium ab Henrico Leone moenibus cinctum, et tantum locorum comprehenderet, ut paene per quingentos annos facile sufficeret⁹⁰.

His igitur condicionibus mutabilibus Monacum loco pervetusto circa sedem quamdam monachorum quorundam conditum et paulo post moenibus cinctum mirum in modum incrementa cepit. Ludovicus autem Primus⁹¹, rex Bavarorum, dixisse fertur se Monacum eam urbem redditurum esse, quam qui non vidisset, eum Germaniam non vidisse⁹². Quod consilium jam aliquatenus effectum videtur esse, id quod non paucis rationibus comprobatur. Concursus autem et commeatus hominum, quorum numerus illic

84. Cf. AAS 48 (1956) 68, 252, 491; 49 (1957) 59, 196 sq.; 50 (1958) 198, 304 sq., 670 sq.; 57 (1965) 715: Hoc templum insigne, Beatae Mariae Virgini in Caelum Assumptae ... saorum, et gothico structurae genere spectabile [i.e. ecclesia cathedralis Culmensis].

85. A. d. IV Non. Oct. anni 1951 Carolum Pulchrimonatum, magistrum quondam meum, litteris interrogavi, dicereturne Bavarus an Bavarus. Qui mihi a. d. III Non. Oct. respondit utrumque usurpari. Revera in breviario monastico die festo Patronae Bavariae in lectione VIII legitur: ab Imperatore Ludovico Bavarus. Cf. accentum Hispanicum et Italicum: *bávaro, bávero*; BATTISTI-ALESSIO: *Dizionario Etimologico Italiano*, vol. I, Firenze 1950, p. 468; HIRMER, Joseph: *Latenisches Übungsbuch* (für die 2. Klasse des hum. Gymnasiums), Regensburg 1949, p. 37, adn. 2: *Bavāri, -orum*; cf. p. 166. At SLEVMER: *Kirchenlat. Wörterb.*, Limburg 1926, p. 151: *Bavāri, -ōrum*. Sed de eadem re cf. etiam PAL. LAT. n. 186: 34 (1964) 303 (adn. 107).

86. Cf. SCHLEICH: *Oberbayerisches Archiv* 83 (1958) 72 sq.

87. Cf. Annales undensdorfenses (c. a. 1450): Divisio ecclesiae beatae Mariae in eadem civitate ab ecclesia sancti Petri facta est anno Domini 1271, confirmata per Gregorium decimum (1271-1276): SCHAFFER: *An der Wiege Münchens*, p. 202, cf. p. 158-160.

88. regnavit annis 1294-1319.

89. corregnavit ab anno 1294, imperavit annis 1314-1347.

90. Cf. SCHATTEHOFER: *op. mem.*, p. 10.

91. regnavit annis 1825-1848, mortuus est Nicaeae ad Varum (= Nizza) anno 1868 (die 29^o m. Februarii).

92. Cf. ZIERER, Otto: *Die Abenteuer der vielgeliebten Stadt München* (= de rerum vicissitudinibus urbis Monaci multum amatae), München 1958, p. 267.

intra centum annos plus quam decuplatus⁹³ decies centena milia jam pridem excessit, structurā ferriviae subterraneae anno MDCCCCLXV (Kalendis Februariis)⁹⁴ feliciter incohatā sublevari posse speratur. Eodem anno turris radiotelevisifica in altitudinem ducentorum nonaginta metrorum excitanda⁹⁵ in suburbio confini construi coepta est et ad altitudinem spectabilem jam educta⁹⁶. Ergo revera in eo est, ut urbs Monacum magis magisque aucta, quae tempore conventus Eucharistici⁹⁷ per aliquot dies orbis statio facta est, non solum sit Bavariae caput Germaniaeque decus, verum etiam Europae novae fiat sedes specie situ statu singularis.

P. CAELESTIS EICHENSEER, O.S.B.

8917 St. Ottilien (in Germania).

93. Cf. ThLL V, 1 222,56-64: decuplare *i. q. decies multiplicare*. DON. Ter. Eun. 183 facete 'biduum' decuplavit. AVG. serm. 267, 1 decuplato numero apostolorum [268,1]. ISID. in exod. 22,2.

94. Cf. acta diurna Germaniae meridionalis (*i.e. Süddeutsche Zeitung*), ann. 21, n. 27 (die lunae, Kal. Febr. 1965), p. 13, n. 28 (die Martis, 2. Febr. 1965), p. 13.

95. Cf. VIT. LAT. n. 24 (m. Mai 1965), p. 78 (*De Germaniae quadragenaria re radiophonica*).

96. cottidie duobus fere metris altius educitur. Itaque hoc opus initio mensis Decembris (anni 1965) jam usque ad medietatem altitudinis definitae nuntiatur excitatum esse.

97. anno 1960^o (31. Julii usque ad 6. Aug.); cf. PAL. LAT. n. 174: 31 (1961) 65-76: *De adventu legati pontificii*.

TRES TABERNAE

Carmen in certamine poetico Hoeyffiano magna laude ornatum

'Caeruleo sensim roseae modo in aethere nubes
palescunt, jam vesper adest labentibus horis,
et cadet e caelo noctis mox densior umbra.
Appia nocturnis nigrat via longa cupressis,
nondum exspectatus nobis advenit at ipse'.
Haec Aquilae conjux ubi dixit Prisca marito,
curis corde pio trepidans, dein: "Nonne beata
Persis amata mea est —inquit— praegressa Forum Appi,
et Stachys Urbanusque, citus comitesque secutus
Narcissus, studio qui jam flagrabat eundi,
obvius ut Paulo venienti occurreret usquam?
Ne qui forte mali miseris evenerit illis,
longum iter est, socios quod nunc remoretur euntes!'

Cui deinceps Aquila est sedato corde locutus:
'Ne timeas, conjux, prudens Deus ipse juvabit
quem tandem misit nobis optantibus ultro.
Anxia cur frustra curis torqueris inepte,
impatiensque morae? Rufus materque sedentes
exspectant pariter quem nos hic. Nonne vides ut
colloquiis precibusque terant data tempora gratis
seque ita solentur nobiscum ex urbe profecti?
Ad Tres huc alii properi advenere Tabernas
unanimo accipiant fratres ut pectore Paulum,
qui placidi exspectant, trepida nec voce queruntur'.

Prisca silet, pulla tremefacta at frigore palla
implicat atque foveat dulci bene membra calore,
interea ast oculis tenebras scrutatur opacas.
Cum gravis auditur strepitus magis usque rotarum,
quadrupedumque sono late cita terra resultat.
Solliciti accurrunt omnes tunc undique, et atras
luminibus tenebras terebrant, si forte videre
possint quem exspectant trepidanti pectore Paulum.
At tandem via proxima, equis properantibus icta,
tota sonat, cursuque petit Tres raeda Tabernas.
Hic illic piceis aer funalibus ardet.
Sedulus accurrit puer atque ancilla, simulque
Simulus egressus peregrinos caupo salutat,
sarcinulas atque arreptas cito congerit intus.
Unum sollicita certatim turba corona
membra senem cingit vinclis infirma revinctum
corporis exigui, crispique canique capilli,
praelongique supercillii, quo lumina subter

paene rubent, miroque tamen fulgore coruscant.
 Ante omnes Aquila et conjux fidissima. Rufus
 pone trahens manibus matrem tardante caterva
 munit iter Paulo propius quo accedere possit.
 Ast datur ut dextram optatae conjungere dextrae
 captivi, sacrisque manus adhibere catenis,
 omnibus extemplo pudor et stupor altus inhaeret,
 genua petunt terram, vox atque extinguitur ore.
 Quos simul ac vidit congressos undique Paulus
 et grates agit ipse Deo et spes praecipit auctas.
 Stat circumspiciens udisque amplectitur omnes
 luminibus, tremula et commotus voce locutus:
 'Pax Domini, quae omnes — inquit — dulcedine sensus
 exsuperat, sit vobiscum'. Quod suscipit omen
 quisque sibi. Extollens tunc Prisca e pectore vocem:
 'Vere te nobis misit Deus: illius ergo
 provida laudetur semper de more voluntas'.
 Laeta quibus verbis plaudit tunc cetera turba.
 Deversoriolum properi pridem ante paratum
 deveniunt omnes. Fessis juga lassus agaso
 solvit equis, cursu teretes umentibus armos,
 atque cibi vini que citus solacia quaerit.
 Julius in tanto officii non immemor unquam
 centurio coetu, captivo consulit, atque
 militibus quid agendum sit gravis imperat, alta
 tempore dum noctis laxantur membra quiete.
 Quem Stachys insomnes volvens sub pectore curas
 comis adit: "Juli, te supplex omnibus oro
 pro sociis, sibi qui sperant te jure futurum
 humanum et precibus facilem. Concede benignus
 ut nobis liceat cum illo una hac nocte morari.
 Hinc nunquam aufugiet. Vas ipse innoxius adsum'.
 'Ut libet, accipio', concors tunc Julius inquit.
 Ast Aquila et Rufus Paulo auxiliantur eunti,
 maestum quid resonat concussa hinc inde catena,
 quos pia turba sequax prope circumfusa coercet,
 vinctus Aristarchus vix ut Lucasque sequantur.
 Caupo viae dux atque domus monstrator in aulam
 protinus extremam tremula sub luce catervam
 officiosus agit. Submissa est voce locutus
 huic Stachys: 'Amotis aliis, ne forte molestus
 quis repat nobis una in conclave coactis
 ipse cave'. Simul in dextram delabitur aureus
 cauponis nummus, manibus qui pectus adurget,
 luminibusque auri cupidis fulgore renidens:
 'Ne timeas, — inquit — custos ego sedulus adsto'.
 Interea varia fervet de more taberna
 turba. Militibus laeti miscentur et una
 verba serunt gentes vicani exinde remotas

qui percontantur patria ad sua tecta reversos.
 Jam sellas mensasque brevi sibi quisque paravit
 atque cadis alacres depromunt vina picatis
 servi, caseolos portantque rogantibus ultro
 scriblitas molles, mellito et odore placentas.
 Simultus at caupo, navem ut stridente procella
 nauta regit, rabidisque tenax vix fluctibus obstat,
 eminent in tanto sublata fronte tumultu,
 ac velut e podio circumspicit omnia, servis
 interdum pigris obtutu et voce minatur:
 'Quo te, ignave Cilix, operis urgentibus, abdis?
 Huc Syrus adveniat. Quonam se perfidus ille
 proripuit? Mysis, risu lasciva quid haeres?
 Huc cupas, calices, cyathos huc proferat Afra.
 At Crispilla cibus scite coqua consulat uxor'.
 Paulatim vero vinoque ciboque refecti
 fumosam lepido complent sermone tabernam.
 Ancillae servique suo jam munere functi
 adstantes cupidi praebent rumoribus aures.
 Afra sed ante omnes, crispus cui fronte capillus,
 atque supercilio subter nigra lumina rident,
 labra rubent risu diffissa ut Punica mala,
 centurione oculis cupidus paene haeret in uno,
 illius et verba et risus blanda auribus haurit.
 Bacchari tamen ille volens lepide imperat: 'Euge,
 huc fer, caupo, merum, suavi et de flore coronas!
 Unguentis caput et madeat, madeantque lacerti.
 Eja age sub crotalo, cunctis plaudentibus, Afra,
 rite latus nunc docta move: concentibus aula
 tota sonet. Pereat stultus qui talia temnit'.
 Continuo saltat dubia sub luce lucernae
 Afra, nigrae cui puniceos imitata colores
 labra tument, splendent et in atra lumina nocte.
 Omnes saltantem plausu et prope voce sequuntur.
 Haud procul interea in patulum convenerat oecum
 turba sequax Pauli, mensaeque adsederat una.
 Omnibus at medius Paulus vaga lumina circum
 convertit: sonat interdum concussa catena.
 Parca cibo modico convivis cena paratur.
 Haud pudet inter se famulari: commodat unus
 quisque aliis concors operam, sibi munera quaerens.
 Ast ubi dempta fames, convivae mutua laeti
 verba serunt, omnes sed Paulum audire laborant,
 exorantque tamen tacita quem fronte precati.
 Ille haud invitus submissa denique coepit
 voce loqui, gravior quae deinceps exstitit, atque
 alta sonans tenebras aulae prope dissipat atras:
 'Jam pridem Romam cupiebam visere, fratres.
 Vestra fides etenim toto celebratur in orbe.

Providus huc Deus ipse mihi vestigia rexit,
 cui laus semper erit, quamquam me vincula dudum
 insontem arcta tenent. Nullis sed sancta ligantur
 verba Dei vinclis, grates cui semper habebō
 quod mihi concessit vobis ut largiar ultro
 quae me jam docuit patria in regione benignus'.

Persis, pro Christo multos perpessa labores,
 albus cui crinis foedat maturius ora,
 ex imo pia corde trahens suspiria: 'Paule,
 — inquit — cur tantum usque mali grassatur inique?
 Cur probus injusti domini ditione gravatus
 ingemit, apparet misero spes nulla salutis?
 Qui princeps foede toto dominatur in orbe,
 comoedus demens, latro atque nefarius idem,
 perfidus, heu, dira fratri qui fraude venenum
 ingerit, auxilio Locustae turpiter usus,
 qui saevus, quo nec cuiquam majus scelus ullum
 conceptum est, neque patratum quo foedius unquam,
 invisae ferro ventrem matris ferit alnum,
 deliciis fruitur, fortuna atque utitur usque.
 Cur non haec tandem judex Deus inspicit aequus?'

Desinit ac manibus deflens caput aegra recondit.
 Muttitur circum, Paulum fixa ora tuentur.
 Ille oculos gravis intentos circumtulit atque
 dimissa modo voce loqui et lento incipit ore:

'Fratres, hoc compellabo vos nomine, quo nil
 dulcius esse potest, trepido ne corda tumultu
 turbentur. Veniet mox qui venturus et huc est,
 nec jam tardabit, judex ast omnibus aequè
 reddet pro meritis. Sed justus vivere suevit
 usque fide. Christum dociles imitemur et illum
 semper adusque crucem sancta virtute sequamur,
 gaudentes spe, forti animo quoque damna ferentes.
 Acclivi ipse sedens cum turba in monte beatos
 edixit miseros, caeli qui regna videbunt.
 Haec homines docuit patriae loca nota peragrans.
 Vidi egomet lentum pacato in gurgite lembum
 nutantem juncos inter, quo saepe solebat
 regna docere Dei substantem in litore turbam.
 Sursum iter est nobis, ad caelum tendimus omnes,
 perpetua non hic fruimur bene sede beati,
 aeternam ast alacres debemus quaerere semper.
 Sed Deus ipse cibum nobis cupientibus ultro
 et potum praebet, totum se sponte ministrans.
 Supplicibus veniet nostris e vertice caeli
 verbis mox parens Jesus huc rite vocatus.
 Nunc orate pii concordì pectore, fratres'.

Exsurgunt omnes, manibusque per aera passis
 unanimo Paulum sectantur corde litantem,

donec et is panem frangit pius omnibus unum.
Fit tranquilla quies, submisso et poplite passim
vota Deo fundunt, praesens et numen adorant.

Ebrius haec inter prope commissatur in aula
convena conferta. Cantus jam dissonus aures
dilacerat. Sensim at deinceps conclave relinquit
jam conviva satur. Plures sed limine perstant
donec et immodico vino dapibusque refertus
oscitat hic, stertit flexa cervice supinus
ille, diu frustra quassat quos Simulus urgens.
Julius ast Afrae largitur pocula et ipse
suavia delibat, dulces et miscet amores.
Protinus intendens aures rumoribus illa,
si fors qui veniant ex interiore domo: 'Num
— inquit — dormitant omnes? Fugere profecto
illi omnes, puto. Nunc sine eam visura quid actum'.
Exsilit e sella confestim ac viribus urget
cunctis illa fores donec cessere repente
valvae atque in mediam praeceps illabitur aulam.
Ingressam Paulus pacato lumine lustrat.
Afra sed obtutum trepidans perpessa parumper,
aufugit: 'Hunc nequeo — exclamans — perferre', sed una
corripit extemplo contractis Simulus illam
adveniens manibus, miseraeque rubentia caedit
membra alapis simul et: 'Propere hinc decede, scelesta.
Primo in pistrinum tradam te mane, proterva'.
At Paulus tunc exurgens haec edidit ore:
'Parce precor miserae, venia quae digna putanda est.
Sic Deus et parcat justus tibi tempore iudex'.
Eripit extemplo trepidam cauponis iniqui
tunc Stachys e manibus servam, quae protinus illinc
ad Pauli se flens projecit genua, catenis
captivi dein ore pio multa oscula fixit.
Ille sed: 'Amplius hoc quaeso ne feceris — inquit —.
Conservi sumus, excelsi quin unius omnes
servitio addicti Domini, qui sanguine cunctos
ipse suo scelerum nos servitute redemit'.

Tum mox Paulus humi prolapsam suscitatur Afram,
atque genis servae geminis dedit oscula pacis.

Prof. THEODORUS CIRESOLA
Viale Brianza, 22
MEDIOLANI (in Italia).

EPISTULARE INTER SOCIOS COMMERCIIUM

Qua ratione vox aëroplanum acuenda sit

De nomine *aëroplano* in PALAESTRA LATINA (34 (1964) 306-307, adn. 8) breviter egi; deinde P. Caelestem Eichenseer interrogavi —cum scriptores diversa sentirent opinione: et *aëroplānum* et *aëróplānum* acuerent—, ut si quid novi exquirere posset, explicaret verbumque enodaret. Ipse vero sententiam exposuit, quam in PALAESTRA LATINA (34 (1964) 427-429) inscriptam leges.

Ex eo vero tempore epistolae frequentes datae ac redditae sunt, quin tamen in PALAESTRA LATINA quicquam sit relatum. Ne igitur *Palaestram* legentes in re penitus investiganda fraudemus, epistulas, quas uterque conscripsit, edendas censuimus. Quod si alii socii et scriptores in hanc rem lucem instillare velint, gratissimum se nobis facturos sciant.

Jos. M.^a Mir, C. M. F.

Roma, m. decembri, a. 1965

P. Caelestis Eichenseer, O.S.B. Josepho Mariae Mir, Patri Reverendo, S.

... Denique *accentum* vocis, quod est *aeroplanum*, tractandum aggredior. Certe legi, quae in fasciculis PALAESTRAE LATINAE (nn. 186, 187, 188) de hac re diligenter proposuisti. Postremo in chartula cursuali his diebus data renuntiasti haec: “Id autem intellexisse mihi videor vocem (aeroplani) constitutam esse a Gallis, ut eorum lexica confirmant, et ab AERE et PLANER (= “planum”) factam: PAL. LAT., 1964, p. 433. Hanc teneo sententiam, dum probabiliora exspecto argumenta.”

His vocis dubiae radicibus argute demonstratis statim lexica, quae mihi sunt ad manum, evoluta consului et inspexi. Vero quidem gallice dicitur ‘planer’ (hispanice: ‘planear’), quod est non solum ‘plānāre’ sed etiam ‘in āere versari, per āera delabi’. Inde francogallice dicitur ‘planeur’ (Hispanice: ‘planeador’), quod est ‘velivolum’. Ergo etymologice ‘planeur’ (‘planeador’) et ‘planer’ (‘planear’) primo aspectu ejusdem stirpis videntur esse, unde ducitur quod est Latinis ‘planum’.

Valde autem doleo, quod etymologica lexica majora et locupletiora linguae francogallicae (et hispanicae) prae manibus mihi non sunt. Nam fortasse ‘planer’ (= plānāre) et ‘planer’ (= in āere versari) non ejusdem sunt stirpis. *Latine* enim dicitur ‘plānus, -a, -um: plānities, plānitas, etc.’ et ‘plānus (Cic.) [= erro], plānetae [=stellae errantes], implānāre [= decipere, seducere, πλανᾶν: ThLL VII, 1 627, 26-35)]; cf. WALDE-HOFMANN: *Lateinisches etymologisches Wörterbuch*, vol. II, Heidelberg

1954, pag. 318. Meā quidem sententiā 'aeroplanum' instrumentum volaticum est, quod in aëre versatur, quod aëra permeat, quod itinera aëria conficit. Idcirco altera vocabuli pars a Graeco 'πλανᾶσθαι, πλάνος' ducta videtur. Haec hactenus de etymologia.

Sed si res ipsa spectatur, naturā machinae volucris (seu volatilis) et exemplo vocabuli neograeci, quod est ἀεροπλάνον non ἀερόπλᾶνον, ergo a 'πλάνος' ductum; -cf. HESYCHII verbum, quod est ἀερόπλανον (PAL. LAT. n. 188, 1964, p. 428), — unum insinuat *aeroplānum*, quod insuper ratione graeca compositionis commendatur. Haec habui, quae de accentu disquirendo dicerem. Denique velim fieri possit, ut in eandem sententiam consentias¹...

Incolumen Te servet Dominus totius salutis auctor!

P. CAELESTIS EICHENSEER, O.S.B.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 30^o m. Martii a. 1965.

Jos. M.^a Mir, C.M.F., diligentissimo fratri suo Caelesti sal. pl.

... Quod autem ad *aeroplanum* spectat et ad hanc vocem recte acuedam, tu scis me primum animo haesisse cum probatorum scriptorum sententias novissem in utramque partem opinantium, teque ad investigandam vocem ingenuo animo invitasse. Sic -quamquam et ipse aliquando *aeroplānum* enuntiassem et ita in PALAESTRA LATINA saepius typhothetic describendum jussissem— in dies animus inclinabat, voce diligentius expensa, ut tandem contrariam tenerem sententiam, non tantum auctoritate ductus praestantissimorum scriptorum et lexicorum —quos in superioribus fasciculis PALAESTRAE LATINAE laudavi—, sed et ex ipsa rei investigatione et ex voce illi imposita. Nam si vulgatam vocis explicationem inquirimus et quasi popularem etymologiam admittimus forsitan *aeroplanum* sit illud vehiculum quo quis 'in aëre versatur, in aëre vagatur aut errat' —id enim vulgo fieri videmus—, et ideo sit *aeroplānum* dicendum; attamen si intimam inventi rationem investigamus et expendimus qua periti —ex summa novi apparatus aërii difficultate et ex multis experimentis superatis ut illud aërevehiculum in aëre sustentaretur—, nomen finxerunt novae rei imponendum, alium efficiemus fuisse, ut opinor, hujus vocis fontem. Id enim, cum tot legimus encyclopaediarum et sapientium scriptorum de re tractantium lucubrationes, manifestum fit: summam totius rei omnesque peritorum hominum conatus in eo stetisse ut novo illi apparatu —et quasi metallica avi— alas seu sustentationis *plana* imponerent quibus aequo pondere in aëre sustentaretur. Illi igitur praestantissimi viri ut vocem fingerent, non exitum rei inspexisse videntur —ut in aëre nimirum versaren-

1. Cf. HIER. IN DAN. 12,7,624 (CChL 75 A, 941) Josephus quoque in eandem consentit opinionem.

tur ibique apparatus aëreum moderarentur quo vellent ita ut esset *aëroplānum*—, sed mentem in primis intendisse in alas seu sustentationis *plāna*, vulgato tunc nomine, quibus opus habebant ut inventum perficerent et in aëre versari assequerentur. Id saltem mihi visum est ex lexicis et libris, quos consului, effici, et convenit cum illa novi apparatus etymologia qua signate exprimimus 'aërovehiculum quod alis seu planis [sustentationis] in aëre libratur seu sustinetur'.

Rem tamen animo tuo et ingenio sagacissimo expendendam et excutendam libenter trado. Sed ut ego sententiam, quam prius tenebam, ex allatis et perspectis argumentis, libero animo mutavi, pari fortasse ratione et tibi et aliis, omni rescisso praejudicio, tandem eveniet. Rem tecum evolve et considera.

P. Caelestis Eichenseer, O.S.B. Josepho Mariae Mir, Domino Doctissimo atque Humanissimo, S.

... Velim autem concedas, ut demonstratione Tua instigatus paucis accentum vocabuli, quod est 'aeroplanum' retractem. Aliquatenus quidem aegre fero, quod in hac re linguae latinae natura atque consuetudine quadam cogor, ut Tibi, mi Domine, contradicam. Nam etymologiam ancipitem et dubiam hujus vocabuli tenacissime tenere videris, quae rei ipsi parum conveniat. Idcirco jam in epistula die 30^o m. Martii data (pag. 3.^a) dixi rem ipsam spectandam esse. Quid enim curemus nomen initio itinerum aëriorum a Francogallis aliisque haud ita recte conceptum atque propositum. Neque ibi vocabulum hybridicum adhibeamus, ubi facile vitari potest. Ceterum si ducis priorem partem vocabuli 'aeroplani' a 'plānō', melius dicas 'aeriplanum' quam 'aeroplanum'. Nam ipse scis, quid de hac vocali juncturae Carolus Pulchrimontanus scienter judicavit, cujus sententiam jure libens sequeris. Tamen haec mutatio fiat necesse non est. Suadeo, ut revertaris ad vocabulum prorsus graecum, quo dicas 'aëroplānum'. Hac in re velim animum ad ea attendas, quae in conventu Argentoratensi Michaël Rambaud, professor Lugdunensis, consideratissime monuit, qui ait: "Equidem si praeceptum edere deberem, id dicerem: cum nomen novum creatumque nobis erit latine convertendum, nomen ipsum convertere conari nolimus sed rem ipsam consideremus; ne contenderimus scripturam novis verbis refertam verbatim reddere sed rem apte appellare satisque describere." (3^m Congrès international pour le LATIN VIVANT, Strasbourg 2 - 4 Sept. 1963, Avignon (Aubanel) 1964, pag. 44).

Haec quidem hactenus.

Incolumen Te servet Dominus totius salutis auctor!

P. CAELESTIS EICHENSEER, O.S.B.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 28 m. Aprilis a. 1965.

Josephus M.^a Patri suo Caelesti salutem.

... Quod ad vocis enodationem quae est *aëroplanum* attinet et ad ejus acuendi rationem —cum in dubiis sapientis sit interrogare doctiores cumque in sua quisque nostrum perstaret sententia—, rem penitus perscrutari volens, ad Henricum Guter, probatissimum virum, nobis amicitia conjunctum eundemque Linguisticae Romanicae doctorem in Studiorum Universitate Montis Pessulani, scripsi, ut qua est linguarum romanicarum scientia instructus, totam vocis quaestionem investigaret mihi que benigne enuclearet. Qui quidem in utraque sententia verum —aliquid saltem— inesse respondit, sed vocis compositionem ejusque sensum esse investigandum.

Ex doctissimi viri epistula haec, quae distincte digessi, eruuntur:

1. *Vox aëroplanum* inventa et inducta est a Gallis;
2. eaque his constituitur radicibus quae sunt *aera* et *-plane*;
3. extrema vocabuli pars (*-plane*) cum verbo gallico *planer* conjungitur ab eoque deducitur;
4. at duo sunt verba *planer* disparis significationis; alius est *planer* (< *plānu*): 'complanare, coaequare, planum reddere' [hisp.: *aplanar, allanar*; cat.: *aplanar, aplanir, planejar*; ital.: *appianare*], ex quo etiam gal.: *planifier* = hisp. *planear*; et aliud est *planer* (< *plānu*), id est 'in aëre pendere, suspensum esse' [hisp.: *cernerse, planear*; cat.: *planar, fer l'aleta*; gal.: *se soutenir en l'air*]; hoc autem extremum verbum e voce latina *plānus*, id est "erro, vagabundus" deducitur;
5. lexica gallica, ut quae ab A. Dauzat et Von Wartburg conscripta sunt, hanc verborum distinctionem aperte ante oculos non ponunt neque vocis quantitatem adnotant; A. Dauzat habet: "2. *planer, se soutenir en l'air* (1532)..., dér. sav. du lat. *planus*. V. PLAIN et PLAN I. -Dér.: *planeur, type d'aéroplane* (XX^e s.)"; et sub voce *aéroplane*: "(vers 1850, d'après Ader; vulgarisé vers 1903), comp. avec le grec *aër* et le rad. du fr. *planer*". -At de qua voce —utrum de adjectivo *plānus*, a, um, an de substantivo *plānus* agatur— minime patet.
6. Cum igitur hujus machinae volatilis inventores et vocis inductores ad superficies planas sese referunt, vocabulo *-plan* (> *plān(u)*): *bi-plan, mono-plan*) utuntur; cum vero notionem exprimere volunt "in aëre pendere, suspensum esse" *-plane* adhibuerunt, quae est forma verbi *planer* (hisp.: *cernerse*, gall.: *se soutenir en l'air*) et imperativo respondet, estque similis primae compositi parti vocis hispanicae *saca-corchos*. Vocis exitum animadvertas oportet quae est *aéroplane*, non vero *aéroplan*.
7. Vocalis igitur *a* quae in *-plane* inest, originem ex primigenia *ā* ducit; quod si vox "mere latina fuisset", *aeróplana* -non vero *aeroplānu* derivata esset.
8. Attamen, ut ex supra dictis patet, nulla habita est ratio in hac voce fingenda cum vocabulo graeco *αερόπλανος* (*πλάνος*) neque cum aliis ejus-

dem radicis, de quibus haud pauci scriptores et ipse P. Caelestis mentionem inferunt.

9. Ceterum, quanquam primigenia vocis elementa e latino fonte ducta sunt, tamen vulgari —et graeco— praefixo *aero*—, quod nonnullis compositis praepositur, constituta est et forma verbi gallici *plane*. Cum autem vocabulum, et structura et accentu, gallicum sit, alia nequit excogitari vocis appellatio seu pronuntiatio quam *aeropláne*; eaque vox a Gallis primum inducta, linguae romanicae, eādem forma et in eādem syllaba accentu manente— sibi adsciverunt: hisp.: *aeropláno*, lus.: *aeropláno*, cat.: *aeroplà*, angl.: *airpláne*, ac vel linguae quae proclives sunt proparoxytonis seu antepaenultimis syllabis adhibendis, ut itala: *aeropláno* et rumenica: *aeroplán*, et Graeci recentiores *ἀεροπλάνον*.

Latina igitur vox *aëroplanum* est vocis gallicae aliarumque linguarum neolatarum aptatio seu accommodatio, perstantibus primigeniis elementis, eadem forma eademque accentus notatione, cum non ad “planum” vocis latinae respiciamus, sed ad *plane* gallicum seu ut accommodatius ad veritatem dicamus, ad *totam vocem compositam*: nam in compositis, ut probe monet Bréal (*Essai de sémantique*⁷, p.161), nova et una tantum exoritur vox quin amplius ad ejus priora elementa respectum habeamus.

Ex his igitur —ut subinde in vocabulis aliarum civitatum et in nominibus barbarorum propriis in latinum inductis factum est—, accentum suo loco —*aeropláne*— in latino sermone retinendum esse censemus.

Qui tamen originationi latinae faveat, *aeróplānum* ex sententia sua acuat.

Quae sunt de voce AEROPLANO in his pagellis leges.

Mentem Prof. GUTTER me sedulo perstrinxisse arbitror —id saltem curavi—. Ille vero ad me lingua catalaunica scripsit. Paucissima ex sententia mea adjeci, eaque a sententia doctoris GUTTER non recedunt. Ergo recte suspicatus est de duobus verbis gallicis PLANER. -Ibi clara sunt omnia, ut opinor.

Valeas, frater.

Cervaria Lacetanorum, die 5 mensis junii anno 1965.

Mi Pater Reverende:

Summa profecto industria in originem etymologiamque vocabuli, quod est ‘aeroplanum’ inquisivisti. Hunc laborem exanclatum quin laudem, facere non possum. Sed non solum etymologia hujus vocabuli spectanda est, verum etiam natura rei inventae. Idcirco praestat vocabulum neograecum, quo res eadem denominatur verbo nequaquam hybridico, in sermonem latinum assumere. Itaque secundum illas vocalium mensuras, quae jam apud auctores antiquos inveniuntur, dicendum est: *āerōplānūm*. Hic accentus rei

bene convenit et insuper congruit praeceptis grammaticorum antiquorum. Certe quidem etymologia originalis seu primigenia scitu digna est.

Tamen vocabula latina latine, non romanice, puto acuenda, id quod in sescentis verbis fit, quae ex sermone graeco in linguam latinam assumpta sunt. Itaque philosophía latine dicitur, quamvis a romaniensibus dicatur filosofía, cf. LATINIT, 13 (1965) 58-61: De verbi idoli sive eidoli accentu (Alfonsus Traina). Inquisitione sagaciter in originem radicemque vocabuli, quod est 'aeroplanum' factā demonstratur alteram vocabuli partem gallicam esse, cuius origo latina quadamtenus dubia vel anceps est. At in verbis fingendis non solum origo vocabuli et mens ejus, qui nomen primus composuit, spectandae sunt, sed etiam ipsa natura rei denominandae aliaque nomina sermonum aliorum, ex quibus comparatis optima nominis forma seligatur. Hoc de vocabulo 'aeroplani' fit, si sermonem neograecum respicimus, ubi tale vocabulum adhibetur, quale jam apud antiquos auctores invenitur, scilicet ἀερόπλανον. Inde rei nominisque ratione habita atque quantitate syllabarum observata latine dicendum convincitur: aērōplanum.

Similiter etiam in nomine 'Tansaniae' nuperrime composito faciendum. Suahelice quidem dicitur Tanzanía, sed latine enuntiandum est: Tānsániā, quemadmodum Romani dixerunt Ásia, ubi Graeci proferebant 'Ασία.

P. CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

Josephus M.^a Mir fratri suo CAELESTI salutem.

Me primum in hanc almam Urbem advenisse scias velim, sedemque illam omnibus numeris absolutam Pontificii Instituti Altioris Latinitatis perlustrandi facultatem mihi datam et cum Magnifico Rectore et amplissimo Praeside colloquendi occasionem.

Quae vero rogabas ut apud fratres Barbastrenses tui memoriam facerem, id feci libenter; et spero propediem P. Molinam, Moderatorem, commendationem tuam —illa fortasse quae de urbium nominibus est— in Commentarios relaturum esse.

...De his autem quae ad vocem *aeroplanum* spectant pauca sunt quae addam. Ex amplissima Italicorum Encyclopaedia (*Dizionario Enciclopedico Italiano*, vol. I, Roma 1955) id tantum compertum habeo Italicorum vocem ad gallicam *aéroplane* et anglicam referri; nobilissimus vero lexicographus Zingarelli (*Vocabolario della lingua italiana*, ed. 8, Bologna 1963) haec habet: *aeroplano*: "fr. PLANER, livrarsi sulle ali", quo cum etymo a cl. v. H. Guiter de verbo *planer* (= *plānu*) convenire videtur. In Anglorum autem Encyclopaedia (*Encyclopaedia Britannica*, vol. I, Chicago 1963) alia referuntur: "According to Svante Stubelius, the term aeroplane was first used by F. H. Wenham in England in 1866 to describe a wing, or "a plane in the air"; quibus illa, quae in epistula die 11 m. aprilis ad te data, de *ala* seu *sustentationis plano* quo aërovehiculum in aëre sustinetur, confirmari videntur.

Ceterum, ut liquido patet, sententiae utrimque suo stant pondere; quod si, vel luculentis propositis a cl. v. H. Guiter argumentis, perstat dubitatio de quonam verbo gallico *planer* “aëroplanum” ductum sit —et idcirco e qua primigenia voce latina [*plānu* an *plānu*]—, ut tandem disputationi finem imponamus totamque rem absolvamus, ex sua cuique voluntati acuendi aëroplanum demus facultatem. Id tamen pro certo habeamus, ut supra commonstravimus, nullam etymi ex graeco vel cum graeco fonte cognationem afferri posse.

Cum autem compertum habeamus vocabulorum acuendi rationem subinde in singulas populorum aetates inmutari aut dubiam esse, ne nimium de re curemus, neque quasi de lana rixemus caprina: [nostris tamen disputationibus haud pauca de hoc vocabulo investigata sunt]. Sic, ut illius dubitationis exempla afferamus, apud Hispanos nostra aetate pronuntiantur *Tókio*, *Sájara*, *fútbol*, *Rumánia*..., cum me puero omnes enuntiarent *Tokío*, *Sahára*, *futból*, *Rumanía*, et habemus *atmósfera* cui adversatur *estratosféra*. Ac multa sunt verba quae in ore Itolorum vel sapientium vacillant. In latina vero lingua haud paucae voces, quae Ciceronis aetate breves in paenultima syllaba enuntiabantur, Quintiliani temporibus producebantur Graecorum more. Recte igitur monet P. Llobera (*Grammatica clasicae latinitatis*, Barcinone 1920, n. 179): “Alia [nomina], in quibus paenultima *i* vel *e* breve est, acuenda essent in antepaenultima; v. gr., *ídea*, *philosóphia*, *homília*, cet., sicut omnes dicunt *Ecclésia*, *comoedia*, *tragoedia*, cet.; tamen quia in his Graeci acuunt penultimam, hanc rationem pronuntiandi Latine aliqui sequuntur, cum ea longo usu recepta est. Quare cavendum est ne decipiamur Graeco tono: etsi enim recte, verbi causa, Graeco ritu *María*, *agonía* paenultima acuta efferuntur, barbarismus tamen fiet, si in carmine producentur; aliud enim est quantitas syllabae, aliud accentus: quantitas in longitudine et brevitate syllabae posita est; at accentus in moderanda voce ac pronuntiatione versatur”.

Illam igitur sapientissimam Ciceronis normam teneamus: scientiam nobis reservemus, usum populo concedamus. Id sane me ex nostro quasi vocabulorum certamine assecutum profiteor: quae tradunt doctores in sinu recondam, et, ut nunc est, cum populo *aëroplánum* efferam.

... In Tua autem epistula denuo tangis tractasque accentum ejus vocabuli, quod est ‘aeroplanum’. Hac in re non solum industriam Tuam exemplarem miratus sum, verum etiam varietatem multiplicitemque quaestionis difficulter solvendae. Tamen facere non possum, quin confitear ipsam etymologiam verbi libris etymologiarum recentissimis inspectis sagaciter per-diligenterque demonstratam esse, nequaquam aptitudinem hujus etymologiae satis esse spectatam. Nam decursu temporum non solum condiciones machinarum volucrum instituendarum magis magisque cognoscebantur, sed etiam volaticae machinae nomen ipsum etymologiā primigeniā postpositā paulatim aliter atque initio intellegebatur. Idcirco non est, cur ad ety-

mologiam primigeniam rei non ita congruentem et idoneam et aptam recurremus, sed tale adhibeamus nomen necesse est, quale rei dilucide designandae maxime conveniat ipsi. Hanc argumentationem qui perspexerit quaestioni huic multiplici prorsus consonam, certe non dubitabit id vocabulum graecum, quod est apud auctores antiquos ἀεροπλανον et apud scriptores nostros aequales ἀεροπλάνον —non dicitur ἀεροπλᾶνον—, in sermonem latinum assumere exempla probatissima auctorum optimorum aetatis aureae secutus syllabam antepaenultimam acuturus, ut latine proferatur 'aëroplānūm'. Quae ratio accentus proferendi cum praeceptis grammaticorum tum maxime invento volaturae singulariter congruit, ut quae sit unice commendabilis. Ceterum novus liber, quo de accentu fusius agitur, nuper editus est, qui inscribitur: G. Bernardi Perini, *L'accento latino, cen- ni teorici e norme pratiche*, Bologna 1964 (cf. *LATINIT.* 13 (1965) 225-227). Ergo vocabula latina vel latinizata proferamus accentibus vere latinis, non romanice, ne conformitas unitasque latine colloquentium cladem capiat calamitosam.

Sospitet Te Deus Omnipotens!

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi die 3 m. Aug. a. 1965.

P. CAELESTIS EICHENSEER, O.S.B.

Josephus M.^a Mir, CMF., P. suo Rev. Caelesti OSB. sal. pl.

...Hoc primum; deinde, de acuenda voce *aëroplano* iterum contendis et in tua manes sententia. Ex qua, posthabita primigenia etymologia, novam promere vis quae aërivehicularum hodiernis aptius consonet et "tale adhibeamus nomen... quale rei dilucide designandae maxime conveniat ipsi". A qua opinione qui nominum etymologiam investigant, profecto dissident. Nam primum, singulorum vocabulorum una tantum etymologia vera habenda est et immutabilis; in qua discernenda aliquando, praesertim in vocibus pervetustis linguarum, dubium inter doctos viros intercedit. Sed etymologia, qua vocis origo commonstratur, semper immutata manet; mutantur interdum res quibus initio voces aptatae sunt, sic *tibialia*, *feminalia*, *bracae* aliud apud Suetonium et Tacitum valent quam in ore nostro; aliud apud veteres fuerunt *fides*, *sacramentum*, *oratio* et apud christianos; aliud *globus*, *satelles*, *missile* Livii temporibus ac nostra aetate significant. Protrahuntur igitur verborum sensus, aut, de sententia Horatii, veteres voces decidunt novaeque sufficiuntur; at vocis origo seu etymologia immutata permanet.

Neque tamen hoc etymologiarum argumentum, in vocibus vulgo adhibendis, nimis premendum est; nam ut probe scienterque docti monent scriptores etymon quasi falsam naturae lexicis rationem reddit; idque tan-

tum etymologia assequimur *qua ratione lexicon sit constitutum*. At voces non ex historica origine et vi usurpamus (cfr. VENDRYES, *El lenguaje*, Edit. Cervantes, Barcelona 1943). Primus igitur vir qui vocem *aéroplane* conflavit, cogitavit quidem de singulis vocibus quae sunt *aero* —praefixum vulgare e graeco— et forma quaedam verbi gallici *planer*. Sed cum hoc vocabulum in os hominum descendit ac tritum vulgatumque factum est, nemo de duabus primigeniis vocibus cogitavit, sed *unam* tantum audiebant *unamque* mentis notionem exprimebant definitam, id est tale *aërivehiculum*. Vox tamen semel constituta, et a populo aut a doctioribus viris in usum inducta, illius primaevae significationis etymologicae expers reddita est. Quod et accidit in omnibus constituendis verbis compositis; et ideo, etiamsi sint voces male conformatae, aut parum rem exprimant, cum in usu sunt, eunden obtinent locum ac si pleno definitoque ditarentur sensu.

Ex quibus consequitur etymologicam notionem, quae in vocabulo *aëroplano* initio fuit, eandem permansisse cum vox in multas orbis linguas deducta est: quae et nomen et sensum et accentum in eadem syllaba retinuerunt. Quod autem hodiernae fecerunt linguae, quin nemo de primaeva origine et sensu disputaret, idem factum est in voce latina inducenda; quae ut nomen hybridicum in latinum est inducta sive a forma propiore gallica *aero-planer* —quae rectius ad veritatem accedit—, sive a remotiore latina *aero-planus*. At nomine ita constituto nullam aliam perquirere possumus verbi significationem quam quae habuit initio. Id tamen postea accidit ut qui in eam vocem inquirentes pervestigarent, invenirent, ex sua sententia, idem verbum in lingua graeca sive apud veteres scriptores eadem forma *ἀερόπλανον*, sive nova quadam ex duobus facta verbis ab *ἀερο* *πλάνος*, quasi sit 'quod in aëre vagatur'. Sed haec nova rei et vocis interpretatio nullo modo cum primaeva convenit, neque haec nova —quam tu profers— etymologia ad veram et primam referri potest.

Restat igitur ut *aëroplānum* nomen hybridicum habeamus, minime vero graecum; at etiamsi hybridicum, latina civitate donari certo potest cum et alia huiusmodi habeamus vocabula in thesauro latinitatis, praesertim cum de novo et tecnico nomine agatur, quod in multas nostri temporis linguas dimanavit.

Quod si haec argumentatio animum tuum, aliorumque qui tecum in eadem perstant sententia, non permovet, fas sit tibi et illis ex nova interpretatione et quasi nominis versione —non vero etymologia— latine dicere *aëroplānum*, verbumque ita explicare quasi sit ex *ἀερο* *πλάνος*-*πλανῶσαι*.

Sint igitur duae sententiae et acuendi rationes, ut superiore epistula suaseram argumentisque in vocibus similibus comprobaram [—habes etiam *Academīa*, ex Ἀκαδῆμεια, ut veterum fuit mos, et *Academīa*, ex Ἀκαδημία, ut nonnulli recentiores volunt; habes et *America* ex radice *rīg ricja*, aut, ut recentiores vulgo enuntiamus, *America*—]: ita quoque

qui primaevam vocis originem consecentur et hybridica nomina admittant *aëroplānum* producant, qui vero novam nominis interpretationem proponant et ad graecam rationem verbum exactum velint, *aëroplānum* efferant.

Atque huic negotiolo finem facio; vides tamen me non a penitioris vocis inquisitione et disputatione discessisse; mihi que videor, salva pace remotaque modestia, ampliore et benigniore animo sententias conciliare voluisse, neque unam tantum sententiam probasse, sed et contra sentientibus, quoad id fieri potuerit, cessasse humaniter.

Fac valeas, in opere incepto assiduus persta nosque amare perge.

E sede Curiae Generalis Claretianae, Romae, die 13 m. sept. a. 1965.

J. M. MIR, C.M.F.

AURELIUS DIOCLETIANUS

(243-314)

Imperium Romanum continuis Germanorum incursionibus labefactatur; Gothi, qui ad Ponti Euxini oras consederant, urbes florentes Asiae proconsularis vastant et expilant, Alemanni bis Galliam vastant urbesque incendunt et in Hispaniam et Italiam penetrant, amissa est Pannonia, Gallia cum Britannia deficere conatur, imperii compages labat. Quo in summo discrimine exstitit Diocletianus servator regni. Natus anno 243 in Dalmatia, servi filius, gente Germanus, Diocles nominatus, Salonae artibus bonis apprime instructus, animo perspicaci, industria indefessus, ordinis et pacis amantissimus.

Postquam, Aureliano imperatore, Probo et Caro militavit et Moesiae provinciae praefuit, a Caro cohorti imperatoriae est praefectus, miles praeclarissimus pariter ac fidissimus. Caro praematura morte absumpto successit filius Numerianus, juvenis aegrotus, tener ac poeta. Idcirco Arrius Aper, imperatoris socer, eum clam occidit. Sed Diocles eum accessit et interrogat, utrum imperatorem trucidarit an non. Negat ille. Sed Diocles ira incensus et "hic est interfector" dicens gladio confodit. Dixerat enim ei in Gallia versanti olim Druida sacerdos Celta: "Imperabis, cum aprum occideris". Et factus est imperator die 17 Sept. anno 284, prope Calchedonem Asiae.

Sed quid Diocletianus in tanta rerum perturbatione faciet? Jam dudum perspexerat ingentem regni molem esse dividendam. "Divide et impera". Quare Maximinianum Illyrium —gens Illyria Romae praeclaros dederat imperatores— litteris incultum, obtutu duro et vultu, sed animo benigno et ingenio militari regni socium nominavit.

Ipsa Diocles, abhinc Diocletianus vocatus, erat Augustus, Maximianus Caesar, uterque eadem natus die. Dum alter Galliam vastatam pacat, alter Aegyptum, quae defecerat, anno 296 ditioni iterum subiecit; sed tribus ante annis novum quid et inauditum decreverat. Perspectum enim habebat non sufficere duos imperatores regno tam vasto bene gubernando et continendo. Quapropter post diutinam deliberationem Galerium adoptavit, olim ovium custodem, sed hominem statura corporis procera, ingenio fortissimo, Moesiam administrandam commisit et suasit Maximiniano, ut Constantium Chlorum, litteris optime eruditum et maxime urbanum, adoptaret. Praeterea mandavit, ut Constantius dimissa Helena uxore, Cons-

tantini matre, Maximiniani filiam Theodoram conjugem duceret, cum ipse Diocletianus filiam unicam Valerianam, christianam, dederit Galerio duendam uxorem. Faustissima sane auspicia!

Residebat Maximinianus Mediolani, Treveris Constantius, ipse Nicomediae prope Bosphorum, Galerius Sirmii. Dum haec geruntur, Carausius, stirpe Menapius, olim remex simplex, post classis "Freti Britannici dux", cum junctis sibi Francis et Saxonibus se audacter Britanniae imperatorem nominavit. Quem cum frustra Maximinianus esset adortus, Diocletianus Constantio negotium conficiendum commisit. Qui, Francis et Saxonibus in Batavia paludibus plena et paene inaccessa celeriter subactis anno 296 classe aedificata in Britanniam transgressus totam insulam in dicionem redegit. Ita imperium sub quattuor imperatoribus iterum est redingetratum.

Erant autem Parthi devincendi, ex saeculis Romanorum cervici insultantes, quorum rex Narses Tiridateni, Armeniae regem sociumque regni, e finibus expulerat. Protinus Diocletianus, in consiliis capiendis prudens et celer, Galerium misit, ut regem expulsum ulcisceretur; sed Galerius fuso exercitu paene captus est. Cum fugitivus versus Antiochiam Syriae tenderet, casu in Diocletianum, qui curru vehebatur, incidit. Qui victum male accipiens imperavit, ut in conspectu militum regia purpura ornatus post currum leucae spatium incederet. Tum demum in currum excepit, patria usus potestate. Et filius adoptivus sic punitus iram suppressit et Diocletiano fidissimus mansit. Diocletianus autem devictis Parthis fines imperii latius quam Trajanus olim protulit, sprexit triumphum et vulgi plausum, a capienda gloria prorsus alienus.

Imperium divisum videbatur omnibus acceptum et probatum; sed periculum erat ne quattuor partes lente a sese abalienarentur. Quare Diocletianus regnum in centum et novem dioeceses divisit, ut totum strictius contineret. Vetuit quoque perpetuum imperatores a legionibus eligi et sic earum auctoritatem, tot calamitatum miseriarumque causam, funditus extirpavit. Ita effecit, ut nullus fere deinceps imperator ab exercitu turbulento occideretur. Tum rem argentariam misere jacentem restaurare coepit. Praeterea imperii fines periclitantis castellis firmis communivit et domos regias, palatia, Nicomediae, Sirmii, Mediolani et Treveris et Romae thermas pompa magna construxit. Sed haec expensa et exercitus quadruplum auctus aerarium publicum exhauriebant. Fides imperii labefiebat, quia nummi jam dudum adulterari solebant. Quamvis Diocletianus hunc abusum abolevisset, tamen mercium pretia non minuebantur. Ideo inauditum quid in re nummaria fecit. Statuit enim omnium rerum pretium summum a nullo augendum. Item mercedem quorumcunque operariorum, magistrorum honorarium, medicorum et ita porro. Quod edictum summa prudentia excogitatum et e marmore sculptum in omnium urbium vicorumque foris est collocatum et transgressores severe puniti.

Interea mirum quid accidit. Cum Augustus civis inter cives vixerit, Titus et Hadrianus una cum civibus thermis sint usi, Diocletianus, servi filius, antea modestus nec gloriae cupidus, Persarum regum ritum aulicum sequi coepit. Vivebat in palatio splendidissimo, populo invisibilis, a cohorte praetoriana circumdatus velut deus et cum egrediebatur, aut lectica gestabatur aut curru vehebatur, cinctus ab eadem cohorte et cives modeste declinabant verberum cohortis timidi. Ornabat frontem diademate clarissimo, umeros amictu serico murice tincto et corpus reliquum paludamento auro et lapillis pretiosis intexto. Ipsi quoque calcei lapillis ornati. —Nonne hic Byzantinismus sumpsit exordium?— Cur autem separatio haec? Oportebat imperatorem tueri. Quot enim imperatores a Septimii Severi aetate (193-211) gladio militum occubuere! Diocletianum id invitum fecisse ex eo patet, quod aliquando dixerat: “Inclusus vivo nec quod foris agitur, ad me pervenit nec verum audio. Imperator vel benignissimus abusu tradi et prodi solet; convivae sunt mendaces et fallaces, aulici purpurati corrupti, camerarii stulti, eunuchi avaritiae pleni nec desunt conjurati, qui me fallere animumque pervertere studeant. Haec igitur est sors nostra!” O imperatorem vere commiserandum!

Erat corporis statura procera, barba capillisque canis, cute alba, oculis caeruleis. Mirum est hujus hominis nullam exstare statuam. Ipse prohibuisse videtur, vir actuosus et vanitatis omnis expertus; moribus integerrimis omnes fere imperatores vincebat et matrimonii sanctitati instabat. Tolerabat christianos —fuere Theodora uxor et Valeria filia christianae— majorum religionis cultor pius sacra aliena tuebatur, tantum in superstitiones magicas, astrologos Aegyptios magosque veneficos invectus.

Quid autem est causae, cur christianos persequi inciperet? Cujus rei nonnullae sunt causae. Postquam Gallienus imperator anno 259 edicto cultum christianum ratum esse declaravit, religio vera altiores in dies agebat radices et templa passim assurgebant. Negandum autem non est episcopos haud paucos saeculo indulsisse, litigiosos fuisse, superbe se gessisse et religionem paganam probris cumulasse. Ideo Porphyrius, philosophus Neoplatonicus, librum foras dedit, quo affirmabat christianos fumo mystico rationem sanam obnubilare. Nec defuere aulici, qui palam dicerent imperium religione christiana latius in dies serpente periclitari, Deos irasci et silere in templis ubicumque christiani adessent. Ideo Diocletianus diu cunctatus tandem imperavit, ut aulici omnes, centuriones pariter ac legionarii, sacrificiis interessent. Unde factum est, ut anno 297 multi de exercitu decederent militiamque detrectarent. Quos omnes imperator impunes abire sinebat. Sed, cum cultui Romano male dixissent, Diocletianus, iterum cunctatus diu, in christianos invehendum esse putabat.

Decrevit igitur, ut cultus christianus ubique interdiceretur, templa destruerentur, libri sacri flammis traderentur, quivis christianus in jus voca-

retur. Fundere autem sanguinem nolebat. Quod edictum milites muris palatii Nicomediensis, templo christiano oppositi, affixerunt. Nec multo post edictum refigitur et in palatio incendium oritur. Magna perturbatio. Quis edictum refigit? Quis incendium fecit? Suspicio in aulicos christianos cadit. Jam inquiruntur, torquentur, se fecisse negant. En! Iterum incendium oritur. Excandescit Diocletianus. Vel mulieres aulicas sacrificiis interesse jubet. Aulici christiani partim flagellantur, partim cremantur, partim suspenduntur, episcopus urbis aliique sacerdotes praestantes supplicio afficiuntur. Imperator enim persuasum habet eos esse maleficos.

Jam flagrat orbis. Terror christianos invadit. Perturbatio summa ab Oriente ad Occidentem. Carceres victimis implentur, pauci territi a fide deficient. Eventum irritum autem imperator praevidere nequit. Constat namque historia nec esse factum nec posse fieri, quin tanta multitudo per duo saecula firmiter constituta et ordinata e solita et sacra consuetudine vi eripiatur. Diocletianus omnes christianos habebat rebelles et iteratis edictis postulabat ut episcopi omnes aequae ac christiani nisi semel sacrificiis sollemnibus interfuisent, in custodiam darentur nec tamen supplicio afficerentur. Edictum reliquis sociis regni exsequendum commisit, qui suo quisque arbitrio procedebant. Benigne Constantius processit, durius ceteri.

Diocletianus anno 303, postquam annos viginti imperii clavos tenuit, primum Urbem visit. Una cum Maximiniano curru a quattuor elephantis tracto ingressus triumphum de Parthis olim reportatum, commotus civium et legionum precibus, egit et magnam praeteritorum rerum veniam, carceribus detentis dedit. Vulgus ludos bestiarios et ferarum spectacula, ut a Trajano mos erat, desiderabat. Spretis autem imperator istiusmodi immanitatibus tricies centena denariorum milia civibus juste attribuenda donavit. Sed vulgus ingratum ipsum probris et conviciis cumulabat. Quo consternatus mense Decembri summo saeviente frigore urbe egressus Nicomediam petiit contracto in itinere morbo. Viribus animi debilitatis anno 305 abdicavit et Maximiniano, ut idem faceret, suavit. In colle prope Nicomediam sito, ubi Jovis statuam erexerat, solio sedit, cinctus ab omnium legionum legatis, specie defatigatus, vix ut eum recognosceres. Oratione bene meditata dixit sese post tot labores quiescere velle et Jovi, quae ipsi commisisset, reddere. Nominavit et successores. Nonne idem Carolus quintus anno 1556 in urbe Bruxellis fecit?

Tum relicto palatio Solonam in urbem patriam equo insidens revertit, urbis natalis desiderio flagrans. Abhinc et Diocles ut olim puer appellari volebat. Incolebat non jam tugurium, sed palatium magnificum antea constructum, ducenta metra longum et latum, prope rupes situm, unde undae ei defatigato dulciter murmurabant. Palatium moeniis firmis et turribus ab incursionibus hostilibus tutissimum. Ibidem anno 316 cursum vitae clausit. Theodora verum uxor christiana Licinii persecutoris jussu martyrio est

coronata. Ipse Diocles apoplexia affectus et mentis paene incompus manus sibi attulisse dicitur. Fuit vir tali ingenio, quale Roma vix tulit. Regnum per viginti annos indole praestanti, auctoritate, praestantia et personae gravitate administravit effecitque, ut regni socii conspirarent. Homo maxime actuosus, in omnibus diligentissimus et ingenium rebus gerendis summum famaue melius. Divisit potestatem, regni successionem stabilivit, auctoritatem imperatoriam auxit. Dominator excellentissimus et, ut tradunt, divina voluntate vocatus.

NICOLAUS MANGEOT, S. J.
44 Münster Haus Sentmaring
(in Germania)

PER ORBEM

Pontificium Institutum Altioris Latinitatis quod a Joanne XXIII, omni memoria digno, decreto illo quod Constitutione “Veterum Sapientia” continetur, et excogitatum et conditum est, die quinto decimo mensis Octobris sollemne Romae habuit initium. Cujus nuntius ab omnibus per orbem linguae latinae cultoribus maximo gaudio acceptus est.

Sacro adfuerunt omnium Facultatum Pontificii Athenaei Doctores, quibus sunt additi clmi. Professores Vergilius Paladini e Barensi Studiorum Universitate, J. Baptista Pighi e Bononiensi Universitate, P. Aemilius Springhetti, S. J. e Pontificia Universitate Gregoriana, Rdmi. viri Josephus Graneris e Suprema S. Congregatione Sancti Officii, Benedictus Riposati ex Universitate Catholica Mediolanensi, Renatus Pozzi e S. Congregatione Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposita, Josephus M. Mir qui Commentariorum quibus est index *Palaestra Latina* fuerat moderator, ejusdemque Instituti Altioris Latinitatis modo Professor, aliique viri doctrina maxime exculi.

Instituti aedificium quod cum compage Facultatum Pontificii Athenaei Salesiani consociatur, tribus constat tabulatis in quibus quindecim sunt minora conclavia ad scholas habendas ac duo majora auditoria quae trecentos et sexcentos auditores capiunt.

Nonnulla de disciplinis tradendis accipe: Tria habentur genera disciplinarum:

a) *Disciplinae principales*: Grammatica historica linguae latinae; Institutiones syntaxis et stili latini et exercitia loquendi et componendi; litterae latinae classicae; litterae latinae christianae; litterae latinae Medii Aevi; latinitas ecclesiastica et curialis; grammatica diachronica linguae graecae et dialectologia; litterae graecae classicae; litterae graecae christianae.

b) *Disciplinae auxiliares*: Historia linguae latinae; Historia Romana; Historia Religionis Graecorum et Romanorum; Institutionis juris Romani; Archaeologia et Epigraphia; Geographia et topographia; Didactica linguarum classicarum.

c) *Disciplinae speciales*: Litterae latinae humanisticae; latinitas recentioris aetatis; historia philologiae; historia traditionis et criticae textus.

Universum studiorum curriculum quattuor annorum spatio continetur “ita ut qui duos annos studiis laudabiliter operam dederit, Baccalaureatum, uti dicunt, adipisci possit; qui tres, Licentiam; qui vero quattuor, Lauream”.

Maxime nobis placet verba ea afferre quae in prooemio Litterarum Apostolicarum "*Studia Latinitatis*" continentur:

"STUDIA LATINITATIS antiquarum litterarum quam maxime conjungi cum sacrorum alumnorum institutione atque disciplina persuasum est nullo non tempore Summi Pontifices habuerunt, qui non minus praeterita quam nostra hac aetate hujusmodi super re gravia in lucem ediderunt documenta: Nosque ipsi Litteris Apostolicis recens datis, quibus a verbis *Summi Dei Verbum* initium, haec commonuimus: *In studiorum... supellectile, qua adulescens clerus ornari oportet, sane ponenda est non exigua variarum linguarum scientia, in primisque Latinae, si maxime de Sacerdotibus agatur Latini ritus*"¹.

Conventus omnium gentium ac nationum latinis litteris linguaeque fovendis, Romae —curante Instituto Romanis Studiis provehendis— ut lectoribus jam diu nuntiavimus (Pal. Lat. m. Sept. a. MCMLXV, pag. 136). a die XIV ad diem XVIII mensis Aprilis hujus anni agetur.

Nunc placet lectoribus significare quinque esse praecipuas quaestiones quae a litteratissimis viris et pertractabuntur et palam exponentur:

I. "*Quatenus ad cultum omnium gentium conformandum, ad humanitatem constituendam nostrae aetatis hominum latinitas valuerit valeatque usque*"; quam dissertationem cl. v. Hector Paratore in Universitate Romana Professor enodabit.

II. "*Quam rationem, quam artem ad docendam Latinam linguam potiores ducant hujusce aetatis gentes ac nationes*"; quae quaestio a cl. v. Roberto Schilling in Universitate Argentoratensi Professore exponetur.

III. "*Quae intra hos sexaginta quinque nostri saeculi annos de Latinis litteris sint scripta*"; cujus orator erit cl. v. Casimirus Kumaniecki in Universitate Varsoviensi Professor.

IV. "*Quae nostris hisce temporibus latine, sive prosa oratione sive versibus sint condita*"; quam acroasim cl. v. Vergilius Paladini in Universitate Barensi Professor faciet.

V. "*Quatenus possint hujus temporis inventa et excogitata Latine significari*"; quarum maximi ponderis quaestionum commentatio a Emmo. P. Cardinali Antonio Bacci habebitur.

Si quid de re vis, lector, consulere, epistulas mitte ad *Istituto di Studi Romani* (Roma, Piazza dei Cavalieri di Malta, 2).

III Congressus Nationalis de Litteris Classicis. Pro certo habemus lectores certiores factos esse de Litterarum classicarum conventu qui a die XXVIII mensis Martii ad diem I m. Aprilis hujus anni Matrili celebrabitur; forsitan vero nescias Excimum. Administrum Institutionis Nationalis

1. Epist. Ap. Summi Dei Verbum, A.A.S. LV, 1963, pag. 993.

munus praesidis honoris Congressus libenter suscepisse; ideoque uni ex sessionibus sollemnibus Conventus praeerit.

Oratio auspicalis —quae pro Seneca philosopho hispano erit— a doctissimo viro Josepho Emmanuele Pabón in Universitate Studiorum Matritensi Professore habebitur. Septem erunt disputationes seu themata generalia de quibus periti disserent:

I. *Problemata conversionis linguarum classicarum in sermonem hispanicum* (orator: Doctor S. Lasso de la Vega).

II. *Quaestiones de vita urbana apud antiquos* (orator: Doctor García Bellido).

III. *Quae de Humanitatis studiis saeculis XVI et XVII in Hispania scripta sunt* (orator: Doctor Gil).

IV. *De sermone philosophico graeco deque vocabulorum philosophorum recognitione* (orator: Doctor Lladó).

V. *Quomodo nostris diebus studia Euripidea se habeant?* (orator: Doctor Fernández Galiano).

VI. *De inferiore occidentis imperio* (orator: Doctor Balil).

VII. *De sermone et modo dicendi Vergiliano* (orator: Doctor Rubio).

Duo praeterea habebuntur colloquia quorum haec sunt nomina: *Qua via ars grammatica ad institutionem adhiberi possit?* et *De structurae grammaticae linguarum classicarum studiis.*

Si quae sint tibi proponenda ad sedem scribae *Societatis Hispanicae Studiorum Classicorum* epistulas mitte (Duque de Medinaceli, 4. Madrid-14).

Novos commentarios de lingua latina qui a P. Natali Bertolo S.D.B. eorum moderatore nobis ex Argentina missi sunt, ex animo salutamus eosque resalutamus. Commentationum titulus "*ADHUC viget lingua latina*", his nostris temporibus quibus studia humanitatis in discrimine sunt, "*tamquam firma quaedam vox extollitur*" adversus tot voces quae latinam linguam periisse asserunt.

En brevis Commentationum indiculus: *Martialis poeta, Novi orbis inventio, De lingua latina docenda*, cet. Quibus narrationes alumnorum adduntur: *Bacchus, De pluvia, Hannibal, In gallinario.*

Quo utile dulci miscetur.

Scripta vel litterae ad moderatorem mittantur: *Rdo. P. Natalio Bértolo S.D.B., Colegio Domingo Savio, 9 de julio 1008, Córdoba (Argentina).*

Ocassione oblata qua XIX annum centesimum a Lucii Annaei Seneca mortuo ageretur, sollemnis conventus internationalis a die septimo ad duodecimum m. Septembris anni 1965 Cordubae celebratus est. En brevis hebdomadis nuntius:

Die septimo Congressus a praefecto civitatis in conclavi quod dicitur "*Musivorum Arcis Regum Christianorum*" inauguratus est; atque oratio secuta est luculentissima a Conventus praeside lectissimo Professore Adol-

pho Muñoz Alonso habita, qua ante omnium adstantium oculos gravem Senecae personam proposuit. Qua oratione finita, cl. Prof. gallicus Gustavus Thibon de themate disputavit cui nomen "*Sénèque et le Xème. siècle*". Vespere autem P. Augustus Ortega de argumento dixit "*La dimensión religiosa en el pensamiento de Séneca*". Qui post commentationem ad multa quae objecta sunt respondit.

Die octavo mane cl. Prof. Robertus A. Caponigri hoc argumentum pertractavit: "*Seneca et sapientiae idea*", cui fuerunt complemento colloquia varia de his quae ad argumentum enodatum referebantur. Alia hujus diei oratio a P. Josepho Todolí Duque habita est cujus hoc fuit index: "*La dimensión ética en el pensamiento de Séneca*", seu de virtutibus moralibus quae operibus Senecae continentur. Quam orationem colloquia sermone gallico, britannico, germanico cet. secuta sunt.

Die nono plenissime de Seneca dixerunt cl. Prof. Joachim von Rintelen et Petrus Aubenque qui gravissimam lucubrationem "*Seneca et unitas generis humani*" habuerunt. Acroasim hoc quoque die eruditam P. Josephus Oroz Reta, O.R.S.A. fecit cui fuit titulus "*La dimensión literaria en la obra de Séneca*".

Die decimo duae orationes dissertissimae habitae sunt: cl. Prof. E. Frutos Cortés de argumento egit cujus est titulus "*La moral de Séneca en Descartes*", prof. vero Georgius Uscatescu sermonem habuit eloquentissimum "*Dimensión humanística del pensamiento de Séneca*". Quae oratio colloquio collustrata est. In altera sessione Exmus. Gubernator Civilis Provinciae Albacetensis Michael Cruz Hernández cogitate, erudite, eloquenter de themate quaesivit quod appellatur "*Los límites del estoicismo*".

Die undecimo cl. P. Eleutherius Elorduy S. J., apud litterarum classicarum cultores maxime notus, elucubrationem habuit eamque maximi momenti, quae inscribitur "*Séneca y el Cristianismo*" seu de ratione disputavit quae Seneca cum Beato Paulo habuisse creditur. Peritissimus archaeologus atque cl. vir Blanco Freijeiro quaestiones movit de monumentis romanis saeculi quo Seneca vitam egit; cui maximae fuerunt utilitati taeniolae coloribus expressae.

Die duodecimo —qua series disputationum absolvebantur— commentationem cl. prof. Petrus Boyancé evolvit, cui fuit titulus "*L'humanisme de Sénèque*". Ex qua intulit orator philosophiam —juxta Senecam— et vivere et mori nos docere. Vespere doctor Adolphus Muñoz Alonso oratione eloquentissima hebdomadem pro Seneca commemorando clausit.

Hoc, ut cl. prof. asseveravit, ex his peractis ut in memoriam Senecam revoceamus inferri debet, quod Senecae persona vicens, immortalis apud nos adhuc exstat.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

In Seminario Claretiano Professor

Alabonae ad Caesaraugustam (in Hispania).

BIBLIOGRAPHIA

M. TULLIUS CICERO. — *De Re Publica*, sextum recognovit K. Ziegler. Lipsiae, Teubner. 1964.

Ciceronis librorum sex de re publica pretiosissimum codicem doctissimus vir Angeius Majus anno 1819 primus invenit. Jam ipse Majus, mediis chemicis adhibitis, codicis textum patientissime est perscrutatus. Hac vero nostra aetate, artis photographicae praesertim ope, Ciceroniani codicis studium studiosis viris facilius perhibetur. Ita clarus vir K. Ziegler suam primam Ciceronis operis editionem in bibliotheca Teubneriana anno 1915 in lucem edidit alteramque paulo emendatam anno 1929. Nunc vero jam sextum suam editionem auctor recognovit atque edendam curavit. Vere laudandus K. Ziegler qui jam inde a prima editione textum Ciceronis accuratissime investigavit, ita ut paucissima loca his posterioribus editionibus emendare debuerit. Hoc etiam auctori laudi tribuendum est, tot inter palaeographiae peritissimos viros codicem Ciceronis non ab uno sed a duobus librariis exaratum esse primum advertisse. De his omnibus atque de compositione et de correctore clarissimi codicis fuse auctor in praefatione disputat.

L. ANNAEI SENECAE. — *Dialogorum libri III-IV-V (De ira)*.

L. ANNAEI SENECAE. — *Dialogorum libri VI-XI-XII (Consolationes)*. Recensuit Joannes Viansino. In Aedibus Paraviae. 1963.

In primo volumine Joannes Viansino tres L. A. Senecae de ira libros diligentissime recensuit. Primum longam praefationem —ut in aliis corporis scriptorum latinorum Paraviani voluminibus fit— auctor praemittit in qua sui operis rationem lectoribus reddit, sed praesertim diversorum codicum fuse descriptionem facit. Postea brevis index bibliographicus et codicum conspectus

apponitur, et tandem textus latinus Senecae sequitur cum magno apparatu critico per singulas paginas distributo.

Simili modo tota alterius Senecae voluminis ratio componitur quod et ipse Viansino recensuit. Sed hoc volumen tres Senecae *Consolationes* complectitur, id est, *Consolationem ad Marciam*, *Consolationem ad Polybium*, et *Consolationem ad Helviam matrem*. Hae tres *consolationes* non tantum nomine sed etiam re ipsa inter se conveniunt etsi diverso modo a Seneca philosopho unaquaeque proponatur. In *Consolatione ad Marciam* Seneca vir animo vere forti videtur rerum adversarum calamitatem nondum expertus, quod contra accidit in *Consolatione ad Helviam* ubi philosophus noster, ignominia exiliique laboribus fractus, animos aliquantulum sumit ut matrem consoletur. Tandem in *Consolatione ad Polybium* Seneca, rebus adversis animo devictus, a doctrina Stoicorum abhorret neque animo forti virum se praebet.

PLINE L'ANCIEN. — *Histoire Naturelle*. Libre XVII.

PLINE L'ANCIEN. — *Histoire Naturelle*. Livre XIX. Texte établi, traduit et commenté par J. André. Paris "Les Belles Lettres". 1964.

In XVII volumine *Historiae Naturalis* quod in collectione *Galliae Universitatum* nuper vulgatum est, Plinius suam diversissimam descriptionem prosequitur. Sed in hoc XVII libro Plinius non tantum arborum descriptionem facit sed etiam de ipsorum cultu dicere incipit. Itaque totum opus in tres partes dividere possumus. In prima parte de arboribus agitur quae propter fruges ab homine plantantur atque inseruntur. In altera vero parte ratio carum arborum exponitur quae propter alias seruntur et propter vineas maxime. Tandem in tertia parte quibus morbis arbores infestentur Plinius explicat.

In libro XIX Plinius de holeribus praesertim agit, id est, de natura, de cultu, et quam holera ad victum hominis pertineant. Primo quidem de aliquibus plantis Plinius agit plus minusve mirabilibus de quibus nihil in libro XVIII dixerat. Sic de lino et de ejus utilitate multa dicit. Postea de tuberibus: quomodo gignantur, quae eorum sint genera. Sed post numerum 49 res praecipua totius libri invenitur cum Plinius de antiquitate hortorum apud Romanos agat, de eorum plurimo pretio, de victu pauperum, cet. Etiam de hortorum situ deque seminum generatione auctor loquitur. Duorum horum voluminum interpretatio et commentaria J. André debentur.

CICERON. — *Discours*. XIV. Pour Sestius, contre Vatinius. Texte établi et traduit par J. Cousin.

CICERON. — *Correspondance*, V. Texte établi et traduit par J. Bayet. Paris "Les Belles Lettres", 1964-1965.

In volumine XIV Ciceronis orationum ab ipsa collectione edito duas orationis romani orationes invenimus: orationem pro P. Sestio et orationem in P. Vatinius. Quam pro Sestio Cicero habuit orationem ea merito inter praecipuas clarissimi oratoris ab omnibus habetur; in illa enim non tantum ars et prudentia oratoris sed etiam res et facta illorum temporum apparent. Hujus orationis latino textui atque gallicae interpretationi longa atque doctissima praefatio praemittitur in qua auctor —J. Cousin— de ipsa oratione, de vita P. Sestii, de bibliographia, de codicibus et de multis aliis diligentissime disputat. Multo brevior oratio in Vatinius est, sed tamen utilissima ad res et mores romanorum cognoscenda.

Gratissimum etiam nobis est V litterarum Ciceronis volumen collectionis "Les Belles Lettres" lectoribus nuntiare. Omnibus classicae antiquitatis studiosis viris perspicuum est quam sit usui ad cognitionem rerum eorum temporum epistulas Ciceronis indefesso animo perlegere. Epistulae quae ho-

volumine continentur quinque temporis spatiis respondent. In prima parte eae epistulae afferuntur quae a die 14 mensis octobris anni 50 ad diem 4 mensis januarii anni 49 a Cicerone scriptae sunt; in altera parte epistulae a die 12 januarii ad diem 11 februarii anni 49 scriptae; in tertia parte epistulae a die 11 mensis februarii ad diem 25 mensis februarii anni 49 scriptae; in quarta epistulae a die 26 mensis februarii ad diem 10 mensis martii anni 49 scriptae; et tandem in quinta parte epistulae quae a die 11 ad 25 mensis martii ejusdem anni 49 scriptae. Totum volumen J. Bayet paravit atque interpretatus est.

JESUS ASPA, C. M. F.

EICHENSEER, CAELESTIS.—*De lacu Brigantino congelato —Bodenseegeförne*. Pag. 113. Constantiae in Aedibus Confinium Lacus: Seekreis Verlag, Konstanz 1965.

Multa eaque prorsus miranda in nostra inciderunt tempora; in his autem rebus memorabilibus, quae posteriorum memoriae digna sunt quae tradantur, singulare commendatur eventum quo summa lacuum aqua durata et conglaciata est, adeo ut quorundam dierum spatio homines novam facilemque sibi, praebente natura, viam constraverint: qua plaustris, curribus automobilibus aliisque vehiculis uterentur.

Quae quidem in lacu Bedajo seu Ohimo, in lacu Siluro in Bavaria Superiore, in lacu Tigurino aliisque, sed in primis in Brigantino —qui et Constantiniensis— inter fines Helvetiae, Austriae, Germaniae sito, evenerunt. Media enim hieme Sinus Brigantinus glaciatur ita ut naves in portu retineantur; quod nostra aetate saepe accidisse narrant. Sed anno 1963 mira quaedam peracta sunt quae in hominum memoriis recondantur: eaque P. Caelestis scripto ac latina lingua referre voluit quo in perpetuas hominum aetates servarentur. Nam, in aliis privatis et publicis hominum conventibus, illa praesertim omnium animis impressa est sol-

lemnis pompa et supplicatio qua die duodecimo mensis februarii, anno millesimo nongentesimo sexagesimo tertio per duarum et semis horarum spatium agmen virorum et mulierum, adulescentium et puerorum puellarumque paene infinitum, Sancti Joannis Evangelistae imaginem portantes, a litore Helvetico ad litus orientale Badense deductum est.

Quae omnia aliaque per jucunda vario scribendi genere P. Caelestis Eichenseer, Monachus Sancti Benedicti in Archiabbatia Ottiliensi, commentariolis, quos primum in *Latinitate*, in *Palaestra Latina*, in *Vita Latina* scripserat, nunc iterum, interpretatione Germanica addita, paucorum vocabulorum indice, pulchrisque imaginibus oleatis pigmentis adumbratis, typis imprimenda curavit.

Pater autem Caelestis —praeclaris ingenii virtutibus ornatus, ipsa natura duce impulsus in rebus attentissimo animo per vestigandis, a praestantissimis magistris conformatus, omnibusque studiorum instrumentis adjutus—, in egregiis censetur viris qui prudentius ac sapientius res summa dexteritate, lingua latina usus, pertractat.

Hoc praeclaro ingenio litterae latinae certo gaudent, praesertim cum hoc anno novo conatu inceptoque grandi VOCEM LATINAM, novum commentarium latine scriptum, in vulgus ediderit. Hos sane fortes viros res et aetas nostra expostulat!

Jos. M.^a MIR, C. M. F.

TONDINI HAMLETI.—*Inscriptiones Latinae ad honorem Pii XII Pont. Max. compositae*, con traduzione italiana, pág. 80, Typis polyglottis Vaticanis, 1965.

Reverentissimus vir Hamletus Tondini non tantum amplissima rerum scientia praestat et in nobilissimis linguae latinae cultoribus numeratur, sed etiam singulari ingenio ornatur ut polite eleganterque recondita poetarum

sensa exprimat; quae tamen saepius non carmine constringit, sed concinno inscriptionum genere, in quo ipse regnat.

Etenim jam diu est cum tres evulgavit "Inscriptionum Fasciculos" (a. 1944-47-51) et "Rerum scintillulas" (a. 1954), quibus anno 1963 mellifluum addidit opusculum c. t. "Rivulis canentibus": qui quidem dulcissime auribus cadunt, in iisque res omnis suos habet oculos.

Nunc autem, cum impetus ille —bellum diceres velapertum vel tacitum—, quem in Pontificem Maximum Pium XII vita degentem nefario ausu ingrati quidam homines suscitaverunt, iterum redintegraretur ac recrudesceret, multis clmi. viri Tondinii amicis attissimum visum est tempus quo Inscriptiones, quas ipse quotannis anniversario Pontificis die condere solebat, in opusculum compactae in lucem ederentur. Idque jure ac merito factum est; nam amantissimi Patris ac Pastoris —qui praestantissimam in rebus publicis dirigendis, in societate rite constituenda, in pace ubique conqurenda, in fide et pietate roboranda, nostra aetate sustinuit personam—, perpetuo memores simus oportet.

En igitur habes monumentum quo et desideratissimi "patriae et religionis Parentis" memoria renovatur et lingua latina exemplari exhibetur puritate. Quis, nisi Romanorum linguam perscianter calleret ac maximo animi cultu polleret, haec pulcherrima conderet poemata? Et ignari illi homines in abicienda et proscribenda lingua latina instant urgentque...; insanire plane videntur qui purissima litterarum gaudia animo suo umquam perceperint.

Jos. M.^a MIR, C. M. F.

WIEACKER, F. — *Cicero als Advokat*, IV-27 pp. 7'50 M.

W. LUDWIG. — *Struktur und Einheit der Metamorphosen Ovids*, 102 pp. 9'80 M.

GREIFENHAGEN, A. — *Ein Satyrspiel des Aischylos?* 41 p. et 4 lam. 28 M. Berlín, de Gruyter. 1963-65.

Ut F. Wieacker in hoc parvo libello videtur Cicero ex ratione civili atque ex morum ratione non tantum Romae Magister dici debet sed etiam Europae in posterum haberi. Illi quidem, homini novo, aditus honorum intercludebatur. Forum igitur ei erat attingendum. Oratione praesertim pro Roscio Amerino, qua quidem res difficillima agebatur, animos omnium in se convertit. F. Wieacker quo modo Cicero causam iudicibus probaverit investigat.

Ovidii *Metamorphoseon* libros qui legerit labyrinthum 250 diversarum historiarum percurrere sibi forte videatur. Hoc tamen opusculum eas metamorphoses quae inter mundi originem et Augusti tempora intercedunt coniungere intendit. In prima parte poematis de origine mundi sermo est, de ejus creatione, de eversione propter diluvium, de nova institutione Deucalionis et Pyrrha auctoribus qui quidem diluvio superfuerunt. In fine creatio nis Apollo Pythonem devincit. Iuppiter vices Augusti in caelo gerit et consilium deorum alter quasi senatus romanus apparet. In secunda parte poematis Ovidius deorum amorem erga homines describit, heroes atque heroïdes. In tertia tandem parte poeta bellum trojanum in scaenam mittit quo historica tempora incipiunt.

Auctor vas Altamurense, in altera parte V saeculi a. C. n. depictum atque ex Etruria forte profectum, nobis describit. In eo vase cursus ad cereos Satyrorum depingitur cui Dionysus praest. M. Greifenhagen hoc vas cum aliis ejusdem pictoris comparat et de *lampedromia* agi arbitratur quae Aeschyli cuidam satyrico ludo aderat.

PLUTARQUE. — *Vies III*. Texte établi et traduit par R. Flacelière et E. Chambry. Les Belles Lettres. Paris. 1964.

SENEQUE. — *Lettres à Lucilius V* (XIX-XX), 224. pp. Paris. 1964.

Hoc est IV volumen *Vitarum* Plutarchi quod in Collectione "Les Belles Lettres" nuper editum est. In eo quatuor *Vitae* continentur: Periclis, Fabii Maximi, Alcibiadis et Coriolani. Pericles quidem, sui temporis negotiis maxime implicatus, maximis laudibus ab omnibus fere scriptoribus cumlatus erat. Plutarchus antiquos scriptores saepissime sequitur, sed non omnia de Pericle dicta ipsi probantur. Multa ducis atheniensis notat et reprehendit. De Fabio Maximo, fortunato secundo bello punico Hannibalis hoste, postea Plutarchus scribit. Livio atque Polibio auctoribus praesertim utitur, saepe tamen ab illis dissentit. Melius Coriolanus cum Alcibiade comparatur, ambo enim patria extorres, adversus illam cum inimicis sive Romae sive Athenarum dimicaverunt. Lectorem tandem animadvertere velimus unicuique harum *Vitarum* brevem biographicam praefationem praemitti et fontes afferri quibus Plutarchus usus sit.

Ultimum litterarum volumen quas Seneca amico suo Lucilio Juniori misit in Collectione "Les Belles Lettres" editum nuntiamus. Sed erant aliae litterae quibus Seneca amicum ad Stoicorum sectam vocabat ut ex libro XXII in loco ab Aulo Gellio asservato deducitur, qui quidem locus et in extremo hoc volumine ab editore apponitur. In omnibus his litteris Seneca more philosophorum de divitiis, de honoribus, de paupertate, de morbo, de morte sapienter disputat. Nihil igitur mirum si jam ab antiquis scriptoribus laudibus exornatae sunt; quin etiam qua media dicimus aetate Imitationis auctor multa ab ipsis hausit. Huic tandem postremo volumini index nominum omnium litterarum in fine affigitur.

J. ASPA, C. M. F.

CH. DAVIS. — *El estudio de la teología*. 344 págs.

J. M.^a ARACÓ MITJANS, S. J. — *Psicología religiosa del niño*. 448 págs.

J. LLOPIS PÉREZ. — *La orientación del adolescente y la "Guidance of Youth" norteamericana*. 216 págs.

F. CANALS VIDAL. — *En torno al diálogo católico-protestante*. 136 págs. Herder. Barcelona, 1965.

Auctori, Ch. Davis, vere gratulandum de hoc libro, his temporibus rerum ad theologiam pertinentium studiosis viris utilissimo, ut ex aliquibus indicis titulis facile evincitur: *Cum fide an sine fide?*, *Fides et dissidentes christiani*, *Possuntne non credentes salvi fieri?*, *Quid de primi hominis peccato?*, *Quisnam Christi locus?*, *Quae nostra de Christo notitia?* Sancta Mater Ecclesia ut magis nova in dies appareat fidem quasi clariorem et magis consciam quaerit. Quo fit ut multi homines sacrae theologiae studium vitae suae veluti fundamentum desiderant. Huic necessitati opus P. Davis respondet nam doctrinam christianam clarius intellegi atque ad hominum animos melius devenire intendit. Auctor ea omnia praeterit quae theologiae parum perito lectori impedimento esse possunt. Itaque hunc librum non tantum ad sacerdotes sed etiam ad omnes christianos missum esse iudicamus.

Quam parentibus et magistris utilis hic alter liber futurus sit ex ipso titulo deducimus. Pueri religio et mores raro ex ipsis ab auctoribus tractata sunt. Quare opus P. Aragón valde ex eo commendatur quod totam religiosam pueri vitam complectitur dum ipsius pueri animus gradatim fit et perficitur. Sed non de puero separatim agitur sed ut est ad societatem cum aliis pronus. Prima autem hominis relatio ad Deum est quae in ipsius ho-

minis animo ejus vestigia fortiter posuit. El cum hominis religio adeo cum vita et moribus conjuncta sit, auctor de his omnibus in puero et in adolescente agit, quantum puero familia et tempora tribuant. Longus index bibliographicus in extremo libro appositus vere pretiosum opus complet.

In hac Paedagogiae Collectione opus clari doctoris J. Llopis, artis docendi ob longam experientiam peritissimus, hodie editur. De re parentibus et magistris utilissima nobis auctor agere videtur, id est quo modo adolescentes ad bonum dirigantur. Sed hoc praecipuum in opere quod ratione quadam quasi composita adolescentem ad aetatem firmam et constantem omnibus aetatibus inter se consentientibus ducit. Vivido modo dicendi auctor de his omnibus agit quae ad horum temporum adolescentes pertinent. Ea quae "Guidance of Youth" nominatur ab explicatione uniuscujusque spiritus incipit et peritorum scientiam in adolescentis studio requirit. Adolescens magistri consiliis utitur quo difficultates ac quaestiones facilius expediuntur. Hoc denique modo vires occultae adolescentis ad rem propriam incenduntur.

Doctus vir F. Canals, rerum Ecclesiam inde a Concilio Ephesino ad nostra usque tempora peritissimus, librum nobis offert rebus praesentibus maxime opportunus qui et praeceptis Concilii Vaticani II in primis respondet. Jam ipse operis titulus quid auctor sibi proponat nobis indicat. Non controversiam cum aliis ecclesiis quaerit nam controversia saepe nos in periculum adducit. Sed potius quo modo altiorum dignitatis gradum ea quae certo vera sunt in dies consequantur auctor demonstrat atque quantis in rebus diversae ecclesiae inter se conveniant animadvertit. Etiam aliqua de Maria Virgine in Christianorum vita et moribus Dr. Canals explicat. Id ergo opus omnes libenter accipient Concilii Vaticani II doctrinae studiosi.

J. ASPA, C. M. F.

RISUM TENEATIS

OMNIBUS ATHLETIS SALMO VIRIBUS PRAESTAT

Hac nostra aetate qua frequentissima concertationes de pediludio, taeniludio, de athletica longe lateque per orbem ab hominibus habentur, peropportunum videtur —subridete lectores— nonnulla de salmone evulgare, id est, de pisce illo qui, mira arte et robore praeditus omnes superat athletas. Viri scientifici qui per multos annos incredibilem salmonis fortitudinem mirati sunt, nunc salmonis vires metiri sunt consecuti, quibus celerrime iter facit ex alto mari oceano, in quo vitam agit, usque ad fluminum fontes ubi gignit et mortem obit.

Piscatores qui, retibus et cannis ornati, ad flumina montana, ad torrentes patienti animo salmone expectant, salmonum itinera mirantur, qui postquam multa chilometra peragraverunt aquas cadentes sex immo septem metra altas facile superant.

Coetus scientificorum quos illustris biologus americanus Brett moderatus est, quique salmone milia et viginti quinque chilometra per flumen Fraser sunt insecuti, his docti experimentis flumen arte factum extruxerunt quo salmo immisus, nongenta chilometra viginti diebus velocitate media duorum chilometrorum hora confecit, quin ad vescendum nec ad quiescendum tempus ei concederetur. Quod argumentum est salmonem optimum esse athletam qui hominibus, equis qui in hippodromo currunt, canibus Canadensibus traham agentibus longè antecellit.

Quare necesse est affirmare salmonem —itineribus laboriosis quae ex oceano ad fluminum capita singulis annis perficit— pinguedinem illam qua per decem menses sibi providerat, plene insumere.

Si forte requiras quare salmo hoc robore atque celeritate polleat, hoc tibi do responsum: salmo corpus habet aerodynamicum, id est, quod leviter aquae adversatur.

Adeant ergo salmonem navium structores, si navem celerem, solidam struere cupiunt.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

DE TYRTAEO POETA

Lacedaemonii, post multas in proeliis acceptas clades, Apollinem Delphicum quid, ut felix exitus sibi contingeret, facere deberent consuluerunt. Qui ut illi ab Atheniensibus ducem postularent suasit.

Athenienses vero, ut Spartanos irriderent, Spartam magistrum quendam scholae —Tyrtaeum nomine—, altero pede claudum, omnino in re militari imperitum miserunt.

Sed cum Tyrtaeus poeta esset clarissimus doctissimusque etiam vir esset, quaedam bellica carmina excerpit, quibusque coram Lacedaemoniis lectis, ita recreavit afflictosque animos refecit ut hostes Lacedaemonii vicerint. Tum ei civitatem tribui decretum est caminaque sua ut ediscerentur solemnibusque diebus festis in Tyrtaei recordationem concinerentur imperatum est.

MARTINUS CODINA

COLLOQUIUM INTER DUOS AMICOS

Aulus: Potesne mihi dicere, Decime, unde venias?

Decimus: Ex macello venio.

Aulus: Oro te ut mihi quid in sportella afferas dicas.

Decimus: Carnem vitulinam et duos cuniculos qui maximo pretio constituerunt.

Aulus: Tunc, Decime, hodie tecum cenabo...

Decimus: Non hodie sed cras.

Aulus: Et quid mihi cras appones?

Decimus: Allia et cepas quae minoris sunt. Placebunt tibi.

Aulus: Gratias tibi ago, Decime; cibum meum sumam quem pluris habeo.

JOSEPHUS LIZAMA

V Cursus alumnus

ALABONAE (ad Caesaraugustam)

ROMA EST NOBILISSIMA...

Permuli erant Romae alienigenae. Graeci magnifica Fori mirabantur monumenta et clamabant:

— Roma est nobilissima. Romae incolae sunt beati. Monumenta sunt splendida.

Sed amicus qui eos comitabatur, Graecis misera mancipia ostendit et tristia quibus vestimenta sordida erant. Quae mancipia super terga amphoras magnas portabant.

Quibus visis, Graeci sententiam mutaverunt:

— Roma nobilissima est et magnifica ejus sunt monumenta, sed vitae et mancipiorum condiciones execrabiles sunt.

SERVATOR MARTÍNEZ

DE FALERNO

Falernus alborum capillorum senex juga montis Massici colebat, ubi aram Cereris sacram posuerat. Cum vinum non cognosceret aqua sitim sedabat. Quodam die Bacchus eum adiit.

Senex deum ad se recepit hospitio eique aliquid aquae et parum cibi ut ederet apposuit.

Bacchus cum senis humanitatem munerari vellet, fecit ut omnes amphorae Falerno replerentur.

— Pota, inquit, hoc vinum quod deus Bacchus tibi praebet... Illud te clarum faciet...

Falernus tantum vini potavit ut suavi sapore victus obdormierit, dum Bacchus arridebat.

Sene expergiscente, mons Massicus vitibus florebat.

ANTONIUS GÁLVEZ TOMEY

LUCULLUS ET POMPEJUS

Villam habebat Lucullus frugiferam. Quam cum Pompejus —solitudinis amans— quondam lustrasset, hoc tantum reprehendit, quod quamquam in aestate omnium jucundissima erat quas viserat, hieme, vento flante, satis ei erat incommoditatis. Quibus Lucullus: — Credis, inquit, imperitiorem me esse rerum rusticarum quam hirundines, quae hieme adveniente, se loco movent?

EMMANUEL RUIZ

V Cursus alumnus

ALABONAE (ad Caesaraugustam)

QUIS SUM?

Ore meo rubicundo
nigrisque meis oculis
meaque viridi veste,
rus afficio laetitia...

E. MARTÍNEZ

MILES GLORIOSUS

Miles quidam qui bello gallico interfuerat, quique a fronte vulneratus erat, omnibus amicis cicatricem ostendens, eis Caesaris triumphos recordabatur atque suam laudabat virtutem.

— Videte, inquebat, meam cicatricem, quo concluditur me non fugientem sed pugnans esse vulneratum. Militis est a fronte pugnare, illius tantum interest patriam totis viribus defendere. Si fugissem, a tergo vulneratus essem. Nunquam hostis terga mea vidit.

Quod cum alter miles, rei certior, audiret, respondit:

— Frenum, amice, verbis tuis adhibe; quae nos admones pulchra sunt sed alias vide ne fugiens respicias...

Quod eorum qui id audiebant risum maxime movit.

JOSEPHUS A. BARAT

THRACII QUIS NESCIT

Thra ci i quis nes cit Or phei Bar bi-

Thra ci i quis nes cit Or phei Bar bi-

ton? Vo ce sil vas, sa xa, mon tes il le

ton? vo ce sil vas, sa xa, mon tes il le

du cit; vo ce fon tes e vo cat

du cit; vo ce fon tes e vo cat

e vo cat.

e vo cat.

Cantus hic ex fasciculo cui no men "Douze chansons latines" ex. erptus est, qui que a cl. v. M. Lavarenne Lute tiae anno 1952 editus e t.

2. Nec minor nunc vis canendi traditur.
Mulcet artus, corda, mentes;
ingeni venas latentes elicit.
3. Musa voces, Musa sensus copulat.
Musa demit fronte nubem.
Musa grata lege pubem roborat.

4. Una nobis vox, amorque unus est.
Dispare concors per artes
vita nobis, nacta partes plurimas.
5. Carminis sic vita ritu defluat.
Musa jucundo tenore
ima summis aequo more temperet.

BIBLIOGRAPHIA

P. OVIDI NASO. — *Tristes I*. Text establert per Miquel Dolç. Traducció de Carme Boyé.

POLIBI. — *Història IV*. Text revisat i traducció de Manuel Balasch.

Fundació Bernat Metge. Barcelona. 1965.

Summus dolor exilii qui infixus haerebat animo eorum poetam Ovidium fecit. Ovidius vere multis in locis fastidio lectori est tum quia saepe Caesari principi suis versibus adulatur tum quia saepissime exilii lamentis lacrimisque eisdem verbis se dedit. Sed nequaquam obliviscendum est in Ponticis atque in Tristibus Ovidium veram poetae magnitudinem adipisci ibique quamdam quasi doloris divinam rationem attingere. Praeter ejus dicendi genus describendo aptum, plurima carmina invenimus in quibus poeta ultimum vale dicit, vel multa de vita sua narrat, vel amicis et uxori amorem significat vel verbis dignitate plenis inimicos et falsos amicos vehementer vituperat. Quae omnia in hoc novo volumine Collectionis Bernat Metge legere nobis licet. Clarus linguae latinae magister M. Dolç textum criticum disposuit qui et indicem bibliographicum codicum, editionum et praecipuarum rerum quae de Ovidio scripta sunt, nobis offert. Catalaunica interpretatio et longa praefatio de Ovidii exilio et opere C. Boyé debentur.

Aliud quoque Collectionis Bernat Metge volumen prae oculis nobis est, IV videlicet Polybii volumen in quo

libri IX et X Historiarum continentur. M. Balasch, in hac Collectione maxime notus, editionem paravit durumque Polybii dicendi modum faciliorem nobis reddidit.

JESUS ASPA, C.M.F.

DE ECHAVE-SUSTAETA, JAVIER. — *Virgilio y nosotros*. Edic. Cefiso, Barcelona, 1964, pág. 172.

Amicissimis verbis amico nostro gratias agimus, quod opere "Virgilio y nosotros" nos docuit aliam novamque in Vergilium viam aperiendam et ingrediendam. In tres quasi partes opus dispartitur Dtor. Echave-Sustaeta. Primum sensum intimum poeseos vergilianae investigat (pag. 9-27); deinde novam tentat interpretationem mentis sensusque vergiliani qui superiores interpretes hispanos hactenus praeterierat (pag. 28-103); denique perpetuam Mantuani in litteris hispanicis vim atque momentum ostendit (pag. 107-167).

Interpretationem hujus secundi libri Aeneidos amplissimis laudibus eisque nunc jure meritoque tributis, non possumus non efferre. Cuius enim Prof. Xaverius Echave-Sustaeta in interpretando Vergilio magister apparet summus, ita ut nos novo eoque hodierno Vergilio donaverit. Utinam amicus noster Xaverius — qui tam scite animum Vergilianum callet — reliqua Mantuani vatis opera pervestigare conetur brevique palam in lucem prodat; quod ab egregio magistro Hispani — et in primis amici — quodam jure postulare debemus.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"
 venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET
 LAURIA, 5 BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Grammatica Latina	ptis.	60
" Repetitorium	"	60
" De Orthographia latina (altera editio)	"	20
" Index latinus	"	5

"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.)	ptis.	10
" <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.)	"	12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	"	10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	"	12
* " <i>Ciceronis pro Archia poeta</i> (2 edit.)	"	10
* " <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	"	10
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	"	10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)	"	12
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)	"	10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	"	8
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	"	12
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)	"	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	"	12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, pesetis 6

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 155 Tácit - Annals (vol. II). Llibres III-IV
- 156 Xenofont - Ciropedia (vol. I). Llibre I
- 157 Ovidi - Tristes (vol. I). Llibres I-II
- 158 Polibi - Història (vol. VI). Llibres IX-X

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Via Lavetana, 30 - BARCELONA